# NEUROPATHIA:

SIVE,

De MORBIS

# HYPOCHONDRIACIS,

ET

# HYSTERICIS,

LIBRI TRES,

# POEMA MEDICUM.

CUI PRAEMITTITUR

Dissertatio Epistolaris prosaica ejusdem Argumenti.

---

*—— Ego nunc, quoniam haec ratio plerumque videtur*
*Tristior esse quibus non est tractata, retroque*
*Vulgus abhorret ab hac; volui tibi suaviloquenti*
*Carmine Pierio rationem exponere nostram;*
*Et quasi musaeo dulci contingere melle:*
*Si tibi forte animum tali ratione tenere*
*Versibus in nostris possem.* —— LUCRET.

---

Autore MILCOLUMBO FLEMYNG, M. D.

---

*EBORACI:*
Excudebant CÆSAR WARD, et RICARDUS CHANDLER,
Sumptibus Autoris.
MDCCXL.

# LECTORI.

*Libellus hicce primum, autoris in publicum prodeuntis tentamen, tuo candori sistitur. In quo, si harum rerum aequus aestimator es, quicquid occurrit vitii, eo facilius condonabis, quod ab Academiis, et utraque metropoli longe dissitus opus difficile, nullius auxilio munitus tentaverim. Nec mihi liberum fuit diutius premere qualescunque paginas; ne fidem, quam generosis quibusdam, humanissimisque viris dederam, viderer fallere. Monitum vero te velim utramque hanc lucubrationem fuisse ad finem perductam, partimque typographo*

*tradi-*

*traditam, ante obitum toto orbe celeberrimi* Hermanni Boerhaave. *Hinc factum eſt ut de magno illo viro tamquam adhuc vivo in quibuſdam locis agatur; quos pro tantillo temporis ſpatio immutari opus non erat. Cujus quidem mors eo mihi acerbior, flebiliorque ſemper habebitur, quod non ſolum praeceptor meus, verum etiam amicus per omnia beneficus exſtiterat. Vidit ille magnam poematis rudis adhuc et incompti partem; et epiſtola ad me data approbavit. Vale, et ſi noſtris hiſce conatibus faveris, plura expecta!*



# EPISTOLA

DE

MORBORUM

*HYPOCHONDRIACORUM*

ET

*HYSTERICORUM*

# NATURA.

INGENIOSISSIMO EXPERTISSIMOQUE
MEDICO,




# PETRO SHAW.

*JAmpridem, vir ornatissime, in ea fui sententia, ut crederem boni civis esse, quaecunque ad utilitatem publicam spectantia, ipse vel invenerit, vel ab aliis inventa excoluerit, ea publici juris facere, licet ingenii, et eruditionis famam non videatur inde assecuturus. Non cuivis certe autori terso licet esse, et eleganti.*

*ganti. Si nulli libros exarassent, qui non omnibus dotibus bono scriptori constituendo requisitis fuerint instructi, utique multis utilissimis, quibus nunc fruuntur, inventis caruissent homines. Nec dubito quin plurima hodie intra privatos parietes lateant, quae, si in vulgus ederentur, magno mortalibus usui forent: Idque non raro hac de causa fieri credo, quod scilicet, qui haec callent, conscii sint, se non adeo ornate scribere posse, ac ipsi cuperent. Si vero usquam, certe in arte medica praepostea haecce verecundia damnosa, et proinde vituperanda est. Quum enim ea accurata et indefessa diligentia, qua morborum eventus etiam minutissimi observati notentur; et acri, limatoque judicio, quo eorundem causae et naturae investigentur, et remedia iis pellendis aptissima eligantur; imprimis promoveatur: Morbique, ut verissime apud Celsum empirici, non eloquentia, sed remediis curentur, multoties evenit dotes modo memoratos cum scri-*

*bendi facultate in uno eodemque homine non coire. Ita illi, penes quos sunt optima librorum conficiundorum adversaria, saepe nolunt chartae calamum admovere; dum interea ii, qui scribendi facultate pollent, nimis curta materiae supellectile non raro instructi, voluminibus inutiliter operosis et eruditis rempublicam medicam gravant. Hoc tibi, vir celeberrime, si cui ali, notissimum certe est, qui tot volumina, tanta animi intentione, et tanto cum fructu perlegisti. Quorsum vero, jure roges, haec ad te? dicam; excusantis esse memet, qui scriptorum medicorum numerum augere ausus fuerim. De morbo Hypochondriaco tractatum aliquem edere statui, hac potissimum ratione ductus, quod, cum graviora quaedam ejus symptomata a meipso aliena non fuerint, multum operae in eo investigando, tum optimorum autorum lectione, tum meditatione, et observatione practica, per duodecim,*

 *et*

*et amplius annos collocaverim. Quin et putavi, proprii forte incepti amore transversus actus, me de obscura illa, et multiformi labe quaedam posse tradere, quae aliis, quod sciam, indicta, etiam lectu non prorsus indigna forent. Non is sum, qui me* Sydenhamum, Mandevilium, Blackmorium, *aliosque tum mortuos, tum adhuc viventes, qui eandem materiem diligenter tractarunt, vel superaturum, vel aequaturum sperem. Sed, quoniam infinita rerum, vel in quovis argumento, ubertas exhauriri nescit, animadverti spicas quasdam, post peractam ab illustribus illis viris messim, legi posse: meque nonnihil laudis meriturum existimavi, si proprias lucubratiunculas eorum observatis adjiciens conspectum quendam mirabilis illius mali compendiosum, pleniorem tamen, aptoque digestum ordine, sive naturam ejus, causasque, tam proximas, ut loquuntur medici, quam remotas respexeris; sive nume-*

*numerosam, qua stipatur, quaque omnes fere morbos mentitur, symptomatum catervam; sive veram denique, rebusque ipsis congruentem medendi methodum; ante occulos exponerem. Propositum hocce exequi aggressus sum versu potius, quam oratione soluta: Idque his, ut alias taceam, de causis; quod nempe nihil hujusmodi adhuc tentatum fuerit; et quod poetica prosaicis longe vividius, fortiusque animos legentium feriant, altiusque praecepta quaeque inscribant, imprimantque. Neque vel medicinae studiosi; vel alii ingeniosi et eruditi viri inde habent cur conquerantur; debent enim ipsi talia, licet forte paulo difficiliora, probe intelligere. Sed ut vel levissimis super hac re querelis obviam iretur, statui lucubrationem brevem, soluto sermone, eoque facili simplicissimoque, ejusdem argumenti, carmini praemittendam exarare; illustrique tuo nomini inscribere: Satis gnarus non temere ea*

*con-*

*contempturum cordatum lectorem, quae tibi, excelsum adeo inter literatos, et de humano genere bene meritos nomen adepto, offeruntur. Hanc autem molienti animus non est tractatum justum conscribere; sed iis potissimum immorari, quae vel prorsus nova, vel cum aliorum placitis pugnantia in medium adfero; quibusque idcirco explicandis, et defendendis pro virili operam dare decebat. Sed ne diutius tempora tua publicis commodis dicata morer, ipsam continuo rem aggrediar.*

*Morbus ille, qui in maribus hypochondriacus, in foemellis hystericus dicitur, (etenim unum tantum reipsa morbum duplici hoc nomine insigniri pene omnes hodierni medici consentiunt) adeo frequens, adeoque notus est, ut definitione vix videatur agere. Verum quum proclive sit illum cum aliis affectibus confundere, non abs re fuc-*

*rit hic loci talem ejus deſcriptionem exhibere, quali ab aliis omnibus diﬅingui queat. Morbus eﬅ duratione longus, ex eorum nimirum genere, quos medici Chronicos vocant, et acutis opponunt; ventriculum plerumque, et primae coctionis ſedes; mentem vero, ſenſuſque internos, et quos vocant ſpiritus ſemper peculiari ritu afficiens; vitamque ipſam magis minuſve infelicem, prout hoc, vel illo ſaevit gradu, reddens: Ita tamen comparatus ut, licet multiplici, et fere infinita ſymptomatum varietate affectis moleﬆiae multum, taedioſaeque aegrimoniae concinnet, ac ipſorum plerumque ſententia plurimum periculi videatur intentare; re tamen vera tutior multo ſit, quam malorum magnitudo prae ſe ferat. Quibus notis ſi tandem et haec adjiciatur, videlicet, labem hanc in* Britannia, *quam alibi frequentiorem reperiri, talis ejus habebitur idea, qualis ſufficiet ei ab omnibus aliis diﬅinguendæ; quae-*

*que*

*que omnibus, quod ſciam, ejus ſpeciebus, utut multiplicibus, variiſque, conveniet. De hujus morbi natura cauſiſque multum inter medicos diſceptatum eſt; multaeque, quibus explicaretur Hypotheſes excogitatae: Quas quidem mirum non eſt fuiſſe ante inventam ab immortali* Harveo *ſanguinis circulationem imperfectas admodum, et erroneas. Brevi autem poſtquam* Britannicum *illud ſidus effulſit*, Williſius, *qui cerebri nervorumque anatomen diligentiſſime excoluerat, organorum horum officia quoque, et functiones non minori induſtria, et ſubtilitate tentavit eruere: Quin et ſtatum eorum mendoſum, et depravata munera indagare non eſt dedignatus; morbiſque, qui cerebrum, et nervos imprimis occupant, dogmatice, quod aiunt, explicandis, et congruenter doctrinae* Harveanae, *operam dare. Et quamquam multa in hiſce rebus, quo erat fertili, et luxurianti ingenio, ſubtilius*

quam

*quam verius fuerit commentatus; plerosque tamen medicos, qui post eum scripsere, sententiae suae de morbi Hypochondriaci et Hysterici natura, et primaria sede, assentientes habuit. Inter quos non parum autoritatis eidem conciliavit magnus* Sydenhamus. Willisius *autem statuit morbi Hypochondriaci et Hysterici unam eandemque naturam et rationem esse, unamque sedem primariam, videlicet cerebrum, et nervos inde oriundos, nervorumque liquidum, qui spiritus animalis vulgo dicitur: falso autem incusari in mulieribus uterum, in viris lienem, ventriculum, vel viscus aliud quodvis tanquam horum malorum praecipuas officinas et domicilia: eaque, cum afficiuntur, secundario tantum, et symptomatice laborare. Doctrinam hanc ii post eum impugnare cogebantur, qui spirituum animalium existentiam negantes, nervos non cavos esse, sed filamenta solida contenderunt; et sen-*

 *sum,*

*ſum, motumque muſcularem, non liquidi alicujus per eos fluxu, refluxuque, ſed eorum tenſione et vibratione, vel aliis modis, neſcio quibus, peragi. Ipſe vero cum credam majoris eſſe ponderis argumenta, quibus doctrina* Willisiana *fulcitur, quam objectiones, quibus premitur, eam cum* Sydenhamo, Boerhavio, *aliiſque fere omnibus, qui oeconomiae animali indagandae operam diligentiſſimam navarunt, amplexus ſum; baſimque theoriae morborum, quos tractandos ſuſcepi, propoſitionem ſequentem conſtitui: In cerebro nimirum et cerebello, ope ſtructurae glanduloſae, ſecerni et ſeparari a ſanguine arterioſo illuc a corde apportato liquorem quendam omnium in corpore fluidiſſimum et ſubtiliſſimum ſpiritus animales dictum; cujus per cavos nervorum tubos fluentis et refluentis interventu ſenſatio omnis, motuſque omnis muſcularis excitatur, et peragitur.*

*Inſti-*

*Instituti praesentis non est argumenta adducere, quibus stabilitur ejus placiti veritas.* Boerhavius *in suis institutionibus medicis plurima undequaque desumpta methodice breviterque prout fert libri ratio, proponit; quae in domesticis suis praelectionibus fuse adeo explicat et illustrat, ut rem plane confectam auditores maxima ex parte censeant. Unde mirari subit virum eruditum, cum quo mox disputandum erit, nullam ejus mentionem facere, cum alios multo obscuriores super hac re scriptores non omittat. Huc etiam spectant medici ingeniosissimi* Alexandri Stewart *in actis philosophicis, et in Dissertatione de Motu Musculari nuperrime edita, memorata experimenta. Sed nullum unum experimentum, me judice, clarius pleniusque evincit dari fluidum in nervorum cavis quam sequens, quod primum a* Bellino, *uti creditur, excogitatum,* Bohnius *et* Pit-

carnius, *memorant, quodque cum ſucceſſu feliciſſimo a ſe repetitum fuiſſe teſtatur anatomicus pauciſſimis ſecundus* Alexander Monro, *cujus verba hic apponere non pigebit.* "* *Aperto* " *vivi canis thorace nervum phrenicum alter-* " *utrum vel utrumque digitis prehenſum com-* " *prime, ceſſabit ilico motus diaphragmatis;* " *qui remota vi premente redintegrabitur. Ner-* " *vum iterum modico ſupra diaphragma ſpatio* " *pariter comprime, iterumque quieſcet muſcu-* " *lus. Dein, preſſionem interea continuans,* " *altera manu nervum a preſſionis loco ſecun-* " *dum longitudinem verſus diaphragma quaſi* " *mulgendo urge, illud iterum moveri conſpicies.* " *Repetita vero bis vel ter preſſione nervi lon-* " *gitudinali, diaphragma non contrahetur, niſi* " *manus primo admota vel prorſus a nervo* " *tollatur, vel parti ejus ſuperiori applicetur.*"

*Unde*

* Deſcript. nervorum oſtheologiae ſuae ſubnexa.

*Unde colligit vir in hisce rebus versatissimus horum phaenomenorum rationem maxime probabilem esse, " Quod liquidi nervini fluxus " pressu intercipiatur ; vique externa vicem " supplente cerebri, &c. facultatis illud " liquidum propellentis, pars illa liquidi in " nervo stagnans inter locum pressionis et dia- " phragma in fibras ejus motrices impulsa con- " tractionem earum efficiat : spoliata vero suo " succo ea nervi parte per repetitam expressio- " nem, idem effectus non producatur nervum ut " ante mulgendo, antequam nova ejusdem fluidi " quantitas ex ea nervi parte, quae prius " exhausta non fuerat, suppeditetur. Si ve- " ro probet hocce experimentum liquidi in " nervis motoriis existentiam, utique simi- " laris structura nervorum sensationi famu- " lantium nullum dubitandi locum relinquit, " quin ii pariter suo fluido instructi sint." Haec ille.*

*Scriptor ingeniosus et expertissimus medicus nuper, non uno tantum opere, doctrinam modo explicatam acerrime impugnavit: in quem quidem celeberrimum virum, cujus libri merito plurimorum manibus teruntur, ut et in publicum, et memet ipsum, injuriosus essem, si objectiones, quas tanquam Herculeas et invictas ipse proponit, intactas hic loci praeterirem. Breviter itaque, et quam possumus candide, earum vim et momentum explorabimus; eas tantum seligentes, quae firmiores videntur, omissis quae sententiae ejus ornamento potius quam robori sunt. Nec nobis fraudi sit, quod propriarum cogitationum seriem sequentes, ordinem quo laudatus autor argumenta sua proponit, immutaverimus; modo nihil ei imputetur, quod ipse non asserit; ejusque ratiocinia nec minuantur, nec exaggerentur.*

*Primo,*

*Primo, nervos, dicit, miſcroſcopiis conſpectos cylindricos apparere: Unde probabile cenſet eos non cavos, ſed ſolidos eſſe, quum natura, quae uniformis ubique et ſui ſimilis eſt, reliqua omnia in corpore animali vaſa conica figura donaverit.*

*Reſpondeo virum clariſſimum nunquam probaturum nervos non eſſe conicos argumento petito a microſcopiis. Etenim ut nervi minimi forma conſpiciatur opus eſt microſcopio ſubtili, quodque adeo exiguam admodum nervi portionem oculo una vice repreſentare queat, vix longiorem vitri illa apertura, quae objectum ſpectat; quinquageſimam puta digiti tranſverſi partem. Ponamus igitur nervum illum eo tenore gracileſcere, ut quatuor vel quinque unciarum ſpatio evadat dimidia ſuae diametri parte anguſtior, an talis graci-*

*gracilescentia (sit verbo venia) conspicua fieri posset in quinquagesima pollicis transversi parte, cum nervulus ipse microscopio auctus vix crinem equinum mole aequare videatur? Praeterea verisimile est nervos, licet cylindrici videantur, re vera tamen esse conica figura praeditos, lentissimeque gracilescere; quoniam in embryone, ex cerebro, et cerebello, et medulla spinali extensione et protrusione crescant. Si cavi sint, vis extendens et protrudens, quo propius canalium protrudendorum origini agat, eò flexiles tubos, parumque elasticos, quales nervi sunt, magis distendendo ibidem ampliores reddet, quam in locis ab origine remotioribus; unde ipse tubus conicus fiet: et quo incitatior et magis intercisa sit eadem vis, quae arteriarum est ratio, eo caeteris paribus canalis magis erit conicus; quo vero debilior et uniformior, ut in nervis, eo minus gracilescet, magisque ad figuram cylindricam*

*dricam accedet. Si vero cavi non ſint, ſed ſola partium appoſitione in embryone creſcant, ut in natis pili; eodem certe mechaniſmo conici fient, ac ſunt ipſi pili. Haec forte ſubtilia nimis videbuntur et dubia; concedatur; utique conjecturas conjecturis opponere nihil prohibet. Fateor cum erudito objectore naturam ubique uniformem, et ſui ſimilem eſſe, ſed, quemadmodum ipſa non redundat in ſuperfluis, ita neque deficit in neceſſariis; et ſi nervi aliam, ac reliqua in corpore vaſa, figuram ſortita ſint, ratio bona ejus varietatis reddi poterit congruenter doctrinae, quae ſpirituum animalium exiſtentiam ponit: nimirum cum in ſingulis reliquis vaſis humores una tantum directione naturaliter moveantur, in arteriis ab ampliore diametro in anguſtiorem, in venis ab anguſtiore in ampliorem, in nervis autem ſpiritus per eoſdem canales et fluant et*

*refluant, conveniebat hos fere cylindricos fabricari, dum reliqua evidenter conica fierent.*

*Secundo objicitur nervos, cum cylindrici ſint, vel ad hanc figuram quam proxime accedentes, ſi cavi eſſent, obſtrui non poſſe materia aliqua cavitatibus ſuis impacta; et proinde infeliciter a medicis cavos ſtatui, ut morbi nervorum poſitis eorum obſtructionibus explicentur.*

*Reſpondeo primo, nervos, licet lentiſſime gracileſcant, (nam eſſe perfecte cylindricos probari nequit, imo contrarium veriſimilius eſt, ut modo oſtendimus) tamen, ſi cavi ſupponantur, obſtrui poſſe in iis locis, qui ab origine ſua remotiſſimi ſunt, ubi nimirum gracillimi devenere. Et forte podagra ab hujuſmodi obſtructionibus producitur, quum ea videatur ipſos nervos occupare, eoſque, qui a capite et medulla ſpinali longiſſime diſſiti*

*diſſiti ſunt, primum invadere. Sed quicquid hac de re ſtatuatur, replico ſecundo, quanquam concederetur nervos non poſſe ſponte, et propter ſolam canalium anguſtiam oppilari, ſpirituum tamen per illos fluxum variis modis intercipi poſſe; nempe ab omni cauſa comprimente originem eorum in cerebro, cerebello et medulla ſpinali; a tumoribus membranarum propriarum; a tumoribus Gangliorum; ab omni denique tumore, vel vi externa, quae nervos comprimendo cavitates eorum anguſtiores reddere queat: Cauſas aut has, ſi non omnibus, at certe pleriſque morbis, qui a nervorum obſtructionibus pendere cenſentur, explicandis pares eſſe.*

*Tertio aſſerit objector, male ad ſenſationem motumque muſcularem, imprimis voluntarium, explicandum aſſumi fluidum quodvis nervorum cava permeans; nullum enim ſatis ſubtile intra*

 *ani-*

*animalium corpora gigni posse, ut munera haec, suo per nervorum cava fluxu refluxuque, obire queat ea pernicitate, quam in sensus motusque exercitio quotidie videmus celebrari. Nec contrariis directionibus uno eodemque tempore per eosdem nervos ferri posse, ut sensatio ad cerebrum, motus ad musculos queat transmitti.*

*Respondeo primo, nos neque sensibus, nec imaginatione assequi posse subtilitatem eam quam natura in corporibus organicis, animalibus puta, et vegetantibus, formandis molitur, usque adeo stupenda est, et tantum non infinita; ut ex insectorum minimorum fabrica et functionibus; ex animalium majorum ovis et embryonibus; ex vegetantium ortu et seminibus patet. Quin et ipse objector majorem longe in fluidis animalibus subtilitatem admittit, quam requirit ea, quam oppugnat, Hypothesis; in tractatu nempe de*

*morbo*

morbo Anglico, pag. 95. *propositionem sequentem, inter alias ejusmodi, tamquam oeconomiae animalis naturae, ejusque cum regno vegetabili convenientiae aptissime respondentem in medium profert*; " *An non corpora organica* " *omnis generis animalium inclusa fuisse pote-* " *rint primis suis paribus, decrescentia secun-* " *dum progressionis geometricae leges, vel eadem* " *ratione qua fluxio secunda, tertia, et sic de-* " *inceps in primis suis fluxionibus, omnesque* " *in suo fluente continentur?*" *Secundum hocce placitum quanta*, Shavi *doctissime! debet esse subtilitas organorum in animalculo ex. gr. illo quod ab adulto animali tertium duntaxat numeratur, proportione geometrica tanto minus secundo, quanto secundum minus primo? Quanta debet esse particularum ejus fluida constituentium exiguitas ab illo ipso, si sibi constare velit, admittenda, qui spiritus animales ideo rejicit*

*quod*

*quod putet nullum fluidum animalibus proprium ſubtile ſatis, ſecundum eas quae in noſtro ſyſtemate obtinent leges, generari poſſe, ut iis, quae ſpiritibus demandantur muneribus fungendis idoneum evadat? Niſi forte ſtatuat viva et vitalia animalcula abſque fluidis conſiſtere poſſe, exſuccos totidem et arentes ſceletulos! Si vero ad centeſimum uſque animalculum ratiocinando progrediamur, quam ſtupendum accedet ſubtilitati augmentum? Uſque adeo ſaepe contingit iis, qui vulgo recepta, tamquam explicatu nimis difficilia explodunt, in difficultates longe majores nec opinantibus recidere!*

*Secundo, ſi perpendamus ut materiam ipſam, ita etiam tempus eſſe infinite diviſibile, ut in ſcholis demonſtratur; ſenſuſque noſtros, et imaginandi vim non minus deficere in apprehendendo exiguo admodum temporis intervallo, ac exigua*

*exigua admodum particula corporea; motus vero celeritatem tempore, et viciſſim tempus motu menſurari; utique mirum non videbitur quod nos difficillime concipiamus motus voluntarii promptam, et pene inſtantaneam velocitatem fluidorum animalium interventu poſſe peragi; quum ſenſus noſtri (unde imaginatio, et quilibet conceptus rerum corporearum, pendet) tam anguſtis cancellis arctentur, natura autem in ſuis operibus vix ullis limitibus ſe circumſcribi patiatur, nunc in magnis immenſitatem, nunc in minimis ſubtilitatem omni conceptu humano ſuperiorem moliens.*

*Quod ad poſtremam objectionis partem attinet, replico nervos alios ſenſificos eſſe, alios motores; nullamque bonam rationem aſſignari poſſe, propter quam unus et idem nervus utroque hoc officio fungi debeat. Neceſſe igitur non*

*eſt*

*est secundum nostram Hypothesim spiritus per nervos eosdem contrariis directionibus, versus cerebrum puta, et musculum aliquem, uno eodemque tempore ferri. Hujus argumenti mentionem feci non quod validum videretur, sed ut eorum animis, qui in hisce rebus minus versati sunt, scrupulum illum eximerem: et, ut verum fatear, objector videtur non multum tribuere ejus validitati; nam quamquam in tractatu de Fibra eo usus fuerat, in libro tamen de morbo Anglico postmodum edito disertis minus verbis rem gerit.*

*Quarto contendit vir acutus talis fluidi naturam cum officiorum, quae ei tribuuntur, ratione male consistere: si enim tanta foret subtilitate praeditum, quanta iis obeundis par esset, debere simul esse adeo volatile, ut intra nervos contineri nequeat; sed eos vel penetrando et perfluendo,*

*vel*

*vel mollem et teneram eorum compagem rumpendo, vel dilacerando aufugiat, et avolet: exemplumque adducit Hydropis, in quo, dicit humorem multo crassiorem per ipsos vasorum parietes magna copia perfluere: et spirituum ardentium, quos ait ore haustos subito adeo nervos afficere, ut eorum substantiam penetrare jure consendum sit; at nervorum liquidum oportere esse saltem aeque subtile et penetrabile, ac sunt ardentes spiritus. Si vero illud crassum adeo, et iners, fixumque statuatur, ut nervis contineatur, nec eos vel perfluere vel disrumpere valeat, certe tam velocibus functionibus, quam ei, posita ejus existentia tribui debent, omnino impar et ineptum fore.*

*Haec quamquam ingeniosa forte, et prima fronte speciosa nonnullis appareant, rationi tamen minus esse consentanea me ostensurum spero: etenim*

*Primo; si fluidum nervorum sit admodum subtile, (quod libens fateor) nervi pariter fibris tenuissimis exilissimisque, sibi invicem accuratissime intertextis constant; et proinde lintei subtilis ad instar minime perfluunt, suisque liquidis continendis accommodantur.*

*Secundo; si canales molles tenerique admodum sint, motus liquidorum per illos etiam lenis est, nec incitatior quam eorum cohaesio ferre possit; cum ab impulsu cordis, et arteriarum longissime removeantur. Et certe secundum eam, quam tuemur Hypothesim, sensatio peragi potest vix dimoto nervorum succo; nimirum resistentia percepta in sensorio communi facta ab impulsu objectorum sensibilium in extremitates nervorum, qui spiritibus pleni supponuntur, irruentium. Motui vero musculari excitando exiguam admo-*

*dum*

*dum succi nervini quantitatem sufficere, cum minima nervo injuria illata, docet celebre Mariotti experimentum; quo demonstratur magnum pondus superari parva admodum liquidi per canalem tenerum et friabilem fluentis mole. Adde quod nervi membranis tenacibus a dura, et pia matre propagatis muniuntur.*

*Tertio, ut animales succi subtiles admodum fiant, necesse non est ut simul sint admodum volatiles. Hoc manifeste patet ex observationibus de ovo incubato factis, in quo sacculus pulli embryonem continens, vix microscopio prae parvitate conspiciendus, tener vero et mollis adeo, ut fluidi ad instar diffluat, albumine per incubationis calorem attenuato, et intra vasa sua recepto nutriatur, crescatque, absque vel dissipatione liquidorum, vel vasorum destructione.*

*Quod*

*Quod ad exempla duo attinet, quibus argumentum ſuum illuſtrare, et confirmare conatur vir egregius, reſponſum in promptu eſt; nimirum ad explicandam Hydropis naturam temere aſſumi vel penetrationem vel rupturam vaſorum, utut hae cauſae tritae ſint et decantatae. Ille enim morbus oritur a ſoluta ſanguinis et ſuccorum craſi imperfectaque et imbelli principiorum conſtituentium miſcela, unde partes ſeroſae, vel lymphaticae a reliquis nimis facile ſecedunt; adeoque in locis maxime extenſilibus plus ſeri lymphaeve vaſis inhalantibus apportatur, et accumulatur, quam exhalantibus abſorbetur. Neque probabile videri ſpiritus ardentes in nervorum ſubſtantiam ſolidam (nam contendit eos cavos non eſſe) eam penetrando ſe inſinuare poſſe, cum ii, quo ſinceriores eo potentius, ſuccos animales coagulent; fibraſque criſpent, et con-*

*tracti-*

*tractiores densioresque reddant: tantum abest ut eas, velut aqua spongiam, ingrediantur et penetrent. Multo verisimilius est eos operari motum liquidorum per nervos turbando: nisi malis statuere aetheris Newtoniani cum anima commercium spirituum ardentium, velut lupi in fabula interventu, impediri, irritumque reddi.*

*His rite pensitatis et excussis, nam ulterius hac de re disceptare animus non est, tuo, vir acutissime, judicio submitto, num cum objectore ex argumentis ab ipso prolatis satis firme concludi possit. "Opinionem de spirituum animalium "existentia ejusdem esse farinae cum formis "Aristotelis substantialibus, et Ptolemaico "mundi systemate: puerisque et puerilibus Hy-"pothesium conditoribus crepundiorum loco re-"linquendam;" Nec ne?*

*Antequam hanc materiam missam faciam, breviter de natura spirituum animalium inquirendum. Etenim quotquot autores me legisse memini, nec in praesenti sunt libri ad manum, minus de ea re satisfaciunt. Quin potius miror obviam quandam, et facilem ratiocinatiouem iis in mentem non venisse, quae est hujusmodi : Quum spiritus animales sint liquida omnium in corpore animato subtilissima, debent nervi ab iis solis ali et nutriti ; impossibile enim est canalem aliquem nutriri a liquore crassiore, quam ut eum ingredi possit. At vero omnes in corpore partes solidae ex nervis compactis et coagmentatis fabricantur, ut ex observationibus captis de pulli in ovo incubato, et humani embryonis incremento patet ; et quotannis in praelectionibus suis theoreticis confirmat* Boerhavius. *Ergo quicquid solidarum partium compo-*

*compositionem ingreditur fuit ante in nervorum liquidis. Quum autem eae, ut norunt Chymici, constent terra, quae veluti basis est; oleo, et aqua, quae glutinis loco inservit; et sale quodam animalibus proprio, blando, neutro, quodque distillatione per retortam alcalinum, et volatile redditur, cum reliquis principiis intime misto et unito; utique sequitur spiritus animales omnia haec principia continere: ac proinde esse velut quintam, ut loquuntur, essentiam sanguinis et succorum reliquorum: cujus vehiculum est aqua, vel lympha purissima, mobilissima, fluxu per vasa, quae gradatim ex capacioribus augustissima, et ultra omnem imaginationem subtilia deveniunt, admodum attenuata; calore rarefacta; et vaporis potius, quam fluidi sensibilis naturam referente; quae simul imbuitur terra, oleo, et sale praedictis; itidem tenuissimis, maximeque elaboratis, et subactis, intimeque permistis;*

*quae-*

*quaeque omnes ſenſus fugiunt, antequam propriorum canalium nutritione peracta, in ſubſtantiam ſolidam et conſiſtentem tandem converſa ſint. Unde quidem patet nec eſſe neceſſarium, nec erroris expers, ſpiritus hoſce comparare cum particulis luminis, cum ſpiritibus urinoſis, fermentatiſve, vel cum alio quovis liquore ab eo diſcrepante, quem modo deſcripſimus. Nec puto quidquam, vel in elementis geometricis evidentius ex datis ſequi, quam placitum hocce ex poſita ſpirituum animalium exiſtentia. Eritque illud non parvi uſus ad illuſtrandam noſtram de morbi Hypocondriaci et Hyſterici natura ſententiam, ut infra videre erit.*

*Quod ut clarius fiat, obſervanda, et, ſi fieri poſſit, explicanda inſignis illa, quae cerebrum intercedit, et ventriculum inteſtinaque, primae coctionis organa primaria, ſympathia et conſen-*

*ſus.*

*ſus. Hanc unuſquiſque in ſemetipſo queat experiri. Quo enim quis cogitat intenſius, reflexumque mentis actum vehementius exercet, eo caeteris paribus cibos ingeſtos coquit difficilius tardiuſque. Et contra, quo quis animum a reflexione liberum magis habet, eo felicius citiuſque. Videas fatuos, tardique et craſſi ingenii homines, multum quotidie comedere et bibere, perfecte tamen digerere; licet vitam degant ſedentariam, nec corporis mole, nec viribus caeteris antecellant: Ingenioſos vero, et prudentia graves viros, licet muſculorum robore polleant, motuque ſatis magno agitentur, cruditatibus tamen in ventriculo coctioniſque traditati eſſe obnoxios, dum caetera ſatis ſani maneant. Quid igitur hac de re ſtatuendum? An non veriſimile eſt ſpiritus in cerebro factos non ſpernendum officium in alimentorum coctione prima praeſtare; in capite vero intenſa meditatione retentos in ventricu-*

 *lum*

*lum et inteſtina minus fluere, pepſimque imperfectam tardamque concinnare? Quia ventriculi et inteſtinorum fabrica non leviter videtur huic opinioni favere. Amborum enim tunica intimae proxima nervoſa tota eſt, cui intima villoſa dicta aequaliter extenſa ſubjacet. Utraque tunicis exterioribus amplior deprehenditur, et implicas, dum tubus alimentaris minus diſtentus eſt, corrugata: unde quidem improbabile non eſt nervos illos in tunica intimae proxima conſiſtentes ſuis emiſſariis hanc penetrantibus ſpiritus animales in ventriculi, et inteſtinorum cava eructare. Videtur itaque natura in locis hiſce ſpiritus ipſos novis ingeſtis haud parva copia permiſcendos effundere, ut promoveatur coctio; ut chylo fluor concilietur; et ut idem ſpiritibus jam coctis imbutus, et ſcatens eos in ſanguinem reliquoſque ſuccos ſecum delatos iterum cerebro et nervis reddat: Sitque adeo circulatio quae-*

*dam*

*dam ſpirituum inter cerebrum et vias primas. Hoc eo magis eſt veriſimile, quod natura aliorum viſcerum et vaſorum ope, moliatur omne fere ſuccorum animalium genus cum chylo in viis primis, et reliquo ejus verſus venam ſubclaviam itinere, commiſcere; bilem nempe hepaticam et cyſticam; ſuccum pancreaticum; humores varios a ventriculi et inteſtinorum tunicis ſuppeditatos; lympham denique ex lymphaticis miſſam in vaſa lactea, receptaculum chyli, et ductum thoracicum: eo nimirum propoſito, ut ille humor in ſanguinem brevi commutandus, ſuccis animali inquilinis abundans, et quaſi perdomitus, eo minus ſanguini diſſimilis et peregrinus, omnia enim peregrina ſanguini immediate injecta fere lethalia ſunt, reddatur. Eo inquam rationi magis eſt conſentaneum et ipſos etiam ſpiritus, interventu nerveae et villoſae tunicae, chylo in ventriculi, et inteſtinorum cavitate permiſcendos*

 *immitti.*

*immitti. Nec huic opinioni adversatur* Boerhavius, *si quid tanti viri valeat autoritas, qui, fatente vel ipsa invidia, optime oeconomiam animalem intelligit.*

*Notata igitur, et quodammodo explicata cerebri cum ventriculo, & intestinis arctiore sympathia, et commercio; et spirituum a cerebro confectorum requisito ad primas coctiones perficiendas ministerio, illustranda proxime venit, et, quoad fieri potest, stabilienda propositio sequens, ut doctrina de morborum, quos tractamus, intima natura, causisque proximis clarior fiat et lucidior: Nimirum posita universali nervini systematis debilitate, si chylus et proinde sanguis ab imperfecta coctione alimentorum in viis primis crudior jugiter conflatus venis immittatur, liquida in vasis minimis fluentia (quaecunque ea demum fuerint, quocunque appellentur nomine,*

*nomine, nos ſpiritus vocamus, et nervorum cava permeare credimus) aquea nimis et tenuia, principiiſque animalibus paucioribus praedita, et proinde effoeta, nimis mobilia et diſſipabilia redditum iri.*

*Quae ut probetur, ex interiore phyſiologia obſervandum, in corpore animali (humano puta) complures eſſe canalium ſeries diverſae capacitatis liquidis diverſae craſſitudinis aut tenuitatis recipiundis exquiſite et ſpeciatim accommodatas, a vaſis maximis, quae ſanguinem rubrum ferunt, ſupputando, ad ea uſque, quae fluida omnium in corpore ſubtiliſſima ſola admittunt, qui noſtra ſententia nervi ſunt. Et quo quis curioſius oeconomiae animali rimandae operam dederit, eo majorem earum eſſe numerum credet.* Boerhavium *audivi dicentem (fortaſſe* υπερβολικως*) non male ſubducturum rationem eum,*

*qui*

*qui plusquam mille ejusmodi statueret. Multiplices hi tubulorum ordines ita sunt comparati, ut crassiores liquidorum partes, quae in vasa gradu proximo exiliora prae magnitudine propelli nequeunt, per venas arteriis suis capacitate respondentes in amplos satis canales revehantur. Et sic a capacissimis ad angustissimos unaquaeque series continet liquoris speciem tenuitate vel spissitudine tubulis suis convenientem; tenuiorem nempe illo, quod in ordine proxime ampliori, spissiorem vero illo, quod in proxime exiliori fertur. His positis, expendamus quid sanguini crudo (id est minus quam par est cocto) multiplicibus hisce tubulorum ordinibus jugiter immisso continget; qui effectus ab iis, quae in sanitate fiunt, discrepantes se prodent. Humores animales extra morbos acutos (nam cum de his agitur alius est sensus tum cocti, tum crudi, cui describendo immorari non*

*est*

*est hujus loci) coctos apello, qui ex ingestis, superata propria indole, vi viscerum vasorumque in naturam animalem perfecte mutatis tales conficiuntur, quales per omnia corporis vasa rite fluere queant, variosque humores variis usibus animalibus destinatos, bonos et sanos, propriisque muneribus obeundis aptos dare. Contra crudi vocantur, qui debili virium coctricium actione imperfecte mutati, et animali naturae minus assimilati ingestorum, ex quibus constantur, indolem nimis retinent; adeoque in easdem, ac ipsa ingesta, degenerationes spontaneas sunt proclives; unde in corpore animato alia necesse est suppeditari liquida, atque requiruntur ut functiones recte peragi queant, sanitasque conservari. Succorum animalium vehiculum primarium est aqua mera elementaris: quae quidem per se spectata simplex est, neque mutabilis*

*lis secundum sua elementa *, saltem ulla vi, quae in corpore animali queat exerceri; estque eadem in omnibus corporibus organicis, tam plantis quam animalibus. Solae igitur particulae ab aqua hac diversae, quas heterogeneas uno vocabulo postmodum vocitare liceat, in praedictis succis eas subière mutationes, quibus ex peregrinis inquilini facti sunt. Harum mutationum primarias quasdam hic loci memorabimus, eas duntaxat seligentes, quas propositioni quam probandam suscepimus illustrandae, & stabiliendae conducere existimamus; conclusionem qua possumus ratiocinii severitate elicituri. Primum igitur particulae succorum animalium heterogeneae aqueo suo vehiculo permistae et implicitae, viscerum, vasorumque actione, admodum attenuantur, et comminuuntur. Hoc ex eo manifeste patet, quod homo sola farina cereali*

* *Vide* Boerhav. *Chemiam.*

*reali, & aqua nutriri, et ſuſtentari poſſit. Nimirum craſſiuſculus ille pulvis ſola aqua dilutus ita in corpore animali maceratur, ſolvitur, atteritur, et comminuitur, ut inde liquores conficiantur omnibus, vel exiliſſimis, corporis vaſis permeandis idonei. Eaedem item fluidiores redduntur, et ad motum, fluxumque aptiores. Hoc evidens fit exemplo modo allato. Ex frumenti polline, et aqua fit ſanguis ruber; qui conſtat ex globulis rubris ſero innatantibus, qui ſinguli in ſex globulos ſeparatim pellucidos reſolvuntur: Ergo ex eodem polline et aqua ſphaerulae rotundantur, et expoliuntur, quales ante in ingeſtis non exſtiterant, canalibus conicis cylindriciſve permeandis optime accommodatae. Porro in minorem etiam molem compinguntur, et denſiores fiunt, et ponderoſiores, quam fuerant ante coctionem celebratam. Hoc evincitur ex ſanguinis gravitate. Homo ex ſolo lacte ovillo,*

 *vel*

*vel bubulo ali potest, et sanus, alacerque agere. Sed ex accuratissimis experimentis summi pariter philosophi, et medici* Jacobi Jurin *, *sanguis humanus lac bubulum (quod serum ejusdem sanguinis pondere ad amussim aequat) superat gravitate parte circiter quinquagesima; sanguinis autem crassamentum idem lac excedit fere decima. Quum igitur sanguis ruber, ejusque imprimis crassamentum lac bubulum unde totus conficitur pondere notabiliter superet, videtur tuto posse concludi posse multas particulas, quae sanguinis compositionem ingrediuntur, organorum corporis animati efficacia in minorem compingi ambitum, densioresque reddi. Sed si haec redargutioni videantur obnoxia, rem paulo accuratius expendamus. Omne animal lac producens (inter quae homo) lacte intra proprium corpus confecto nutritur* †: *siquidem chylus in viis primis ex ingestis*

* *Philosoph. Transact.* No. 163. † *Vid.* Boerhav. *Chemiam.*

*gestis praeparatus, postquam venae subclavae infusus cor, et pulmonem penetraverit, fit lac, et tale revera in corpore existit, sive a reliquo sanguine glandulis uberum separetur, sive non: nimirum, ut ex chylo lac, ita ex lacte sanguis concinnatur. Chylus ipse nec sincerus, nec tanta copia potest haberi, ut ejus pondus certo explorari queat. Si hoc fieri possit, nullus dubito quin lacte humano levior deprehenderetur. Lac autem humanum quam potui curatissime examinando, inveni ipso sero sanguinis puro et limpido notabiliter levius, videlicet ducentesima ad minimum parte. Sed ex hoc lacte totus sanguis, tum serum, tum crassamentum, conficitur; nec aliud quidquam notatu dignum ei componendo impenditur; totumque ipsum lac in sanguinem convertitur. Ergo organorum energia plurimae liquidorum animalium particulae densiores, et ponderosiores, quam antea fuerant, redduntur. Denique quum homo*



varie

*vario alimenti genere vescatur, multaque ingerat, et rite concoquat, quae extra corpus difficulter admodum misceri intime queant, carnes nempe, pisces, ova, panem, butyrum, caseum, oleum, &c. unumquodque autem animale liquidum aequabile sit, uniusque modi; manifestum est particulas singula liquida constituentes, vi organorum vitalium, permisceri quam penitissime, heterogeneis tum inter se mutuo, tum cum fluido suo vehiculo arcte unitis, et quadam cohaesionis vi junctis manentibus. Quum igitur hae mutationes ingestorum vi corporis animati peragi debeant, ut singuli succi boni fiant, et sanitatis functionibus rite obeundis idonei; et quidem certo gradu, qualis corporis cujusque singularis constitutioni exquisite conveniat; rectae rationis legibus consentaneum est inde inferre, mutationes eas imperfecte fieri in iis corporibus, quorum virtus concoctrix debilitata est, et imminuta;*

*minuta; id est particulas succorum in istiusmodi corporum canalibus fluentium aequo minus attenuari, et comminui; rotundari, et expoliri; compingi, et densari; minusque intime inter se misceri, et uniri. Ponamus igitur cruditatem humorum modo definitam cum nervini systematis universali debilitate in uno eodemque homine conjungi, contendo inde futurum, ut liquida in vasis omnium exilissimis fluentia nimis aquea et tenuia, principiis animalibus paucioribus praedita, et proinde effoeta, nimis mobilia et dissipabilia reddantur. Quod probare aggredior modo sequenti. Quum nervinum systema, quod motus muscularis in animali corpore principium et fons est, debilitatum supponitur, cordis systole, et arteriarum proinde diastole (haec enim illi proportionata est) inertius languidiusque exercebitur; humoresque ideo lentius, tardiusque per vasa omnia propellentur. Verum non solum*

*vis*

*vis urgens, ſed et ſanguinis quoque momentum imminuetur, utpote qui propter coctionis defectum minus aequo denſus, et ponderoſus conficitur, ut ſupra demonſtratum eſt. Porro propter crudam, quae ſupponitur, ſanguinis indolem, plurimae ejuſdem particulae non ſatis attenuatae ſeu comminutae, nec ſatis rotundatae ſeu laevigatae, fluxui per vaſa exilia non ſatis reddentur idoneae; majoremque facient reſiſtentiam impellenti potentiae; qui tertius imminutae propulſionis humorum fons. Interea vero, quum particulae heterogeneae ſanguinis, ſuccorumque inde derivatorum, propter vires coctrices labefactatas, debilius tum inter ſe mutuo, tum cum fluido ſuo vehiculo commiſtae ſint, et unitae; ab eodem ipſae nimis facile poterint ſeparari. Hinc fiet, ut quoniam ſucci per multiplices canalium ſeries ordine decreſcentes agi debent, cum ad vaſa omnium ſubtiliſſima ventum erit, vehiculum aque-*

*um*

*um particulis ſuis heterogeneis nimis ſpolietur; quae frequentes nimis manebunt in iis tubulis, qui inter maximos et minimos ſunt medii, utpote aequo minus fluxiles; debilius propulſae; et a vehiculo ſuo nimis facile ſeparabiles. Hinc ultima et tenuiſſima vaſcula liquidis implebuntur, quorum vehiculum nimiam habebit proportionem ad partes heterogeneas; adeoque ipſa erunt aquea nimis, et tenuia; principiis animalibus paucioribus praedita (particulae enim heterogeneae ſunt principia animalia non vehiculum aqueum) et proinde effoeta, nimis mobilia, et diſſipabilia: quod probari opportebat.*

*Antequam ulterius progrediamur, quaedam ad praeſens argumentum ſpectantia notabimus ſcholiorum loco. Primo, ſive nervi cavi ſint, ſive ſolidi; ſive ſpiritus animales dicti exiſtant, ſive nulli ſint; aliquis certe erit hujus Theore-*

*matis*

*matis usus. Quum enim multiplices esse vasorum in corpore humano series ordine decrescentes satis constet, nutritionemque solidorum staminum in vasculis minimis perfici; inde videre est ex succis crudis, debiliter propulsis, fibras laxas, imbelles, nimis humidas parumque elasticas aedificari. Secundo, si nervi cavi sint, et spiritibus permeentur, utique cerebro, si cui ali corporis parti, speciatim applicari debet eadem argumentatio. Quum euim cerebrum, secundum hocce placitum, sit viscus fabrica sua glandulosa liquorem omnium in corpore subtilissimum a sanguine illuc apportato segregans et sejungens, debent esse ibidem plurimae vasorum series, a maximis numerando, quae rubrum sanguinem admittunt, ad ultima et exilissima emissaria seu nervos. Ergo spiritus cerebri, modo tales dentur, positis quae supra dicta sunt, aqueos nimis et tenues, pauperes effoetos, nimis*

*mobiles et fugaces fieri necesse est. Denique haec omnia ita concipienda sunt, ut motus circulatorii impedimenta in iis vasculis fieri putentur, quae tum sanguinem rubrum, tum serum sanguinis ferentibus tenuiores sunt et exiliores: Etenim si quacunque de causa, in majoribus hisce canalibus obstructio notabilis consisteret, continuo excitaretur inflammatio, vel febris, propter cordis et arteriarum vim fortiter satis ibidem exercitatam. Nec necesse est ut eae succorum imperfecte coctorum particulae, quas vascula exilissima non pertingere docuimus, quiescere prorsus, et stagnare supponantur, cum singulis arteriarum ordinibus suae respondeant venae, quibus quae prae magnitudine in vasa exiliora trudi nequeunt, in amplos satis canales sanguini rubro denuo reddendi revehantur. Quoniam vero tales particulae segnius per canales suos promoventur, aequo majorem facient resistentiam im-*

 *pellenti*

*pellenti vi; vaſa illa, in quibus morantur diſtendendo reliqua compriment, et proinde aequabilem ſuccorum per omnes tubulorum ordines diſtributionem turbabunt; viſceris ſui functiones laedent; et obſtructionibus ibidem confirmandis fundamenta ponent.*

*Praemiſſis quae clarioris doctrinae gratia praemittenda cenſui, inſtitutae brevitatis ratio jam poſtulat, ut ſententiam noſtram de morborum hypochondriacorum et hyſtericorum natura, cauſiſque proximis, abjecta cunctatione, declarem. Ea autem hunc in modum ſe habet. Affectus hoſce, cum conſtantes ſunt et diuturni, (nam de inſultibus tranſitoriis vel in viris, vel in mulieribus, quorum intervalla ab omni tali labe libera ſunt, hic non agitur) inde oriri ſtatuo, quod cerebri nervorumque ab eo derivatorum compage laxa, imbelli, minuſque energetica et*

*elastica existente; nervorumque simul liquido aqueo nimis, pauperi et effoeto; alimentorum in viis primis coctio mendose et imperfecte peragatur, propter insignem illam sympathiam cerebri cum digestionis organis supra expositam; quaecunque demum ejus causae fuerint, sive quas nos tamquam vero maxime similes indicavimus, sive aliae: Unde chylus, adeoque sanguis, et reliqui ab eo derivati humores crudi quodammodo et degeneres conficiantur necesse est; sed subtili nonnumquam adeo vitio, ut vix vel in viis primis, vel in vasorum majorum systemate queat persentiri. Imprimis vero debent ipsi spiritus inde depravari; tum quia, uti nos credimus, hi vapidi et inertes in ventriculi et intestinorum cava fluentes pepsis imperfectae autores fuerant, et proinde chylo et sanguini affusi culpabiles cerebro et nervis denuo reddendi sunt; tum quia, propter generalem succorum cruditatem,*

 *tem,*

*tem, iidem aquei nimis et pauperes, ut ſupra docuimus, conflantur : ſi rejiciatur cauſa prior, tamquam incerta nimis et precaria, admittenda mehercule omnino poſterior. Spiritus igitur degeneres in cerebri cortice jugiter ſeparabuntur; et alimentorum in viis primis coctio imperfecte jugiter, et mendoſe exercebitur: et quo haec mendoſior et imperfectior, eo ſpiritus magis degeneres fient; eoque laxior et imbecillior evadet cerebri nervorumque tonus; quia cerebrum et nervi ab his ſolis nutriuntur, iiſdemque perpetuo alluuntur, penetrantur et macerantur: Quo vero tum cerebri nervorumque tonus, tum ſpirituum craſis magis corrumpatur, eo rurſus imperfectius alimentorum digeſtio procedet. Porro, quum ſupra demonſtratum fuerit poſita humorum cruditate generali, et nervorum debilitate, particulas ſuccorum heterogeneas minus quam par eſt attenuatas, minus politas et rotundatas,*

*minuſque*

*minusque compactas et densatas, nimis magna copia in iis vasculis, quae inter amplissima et exilissima mediae capacitatis sunt, morari, utpote tum ad motum fluxumque ineptiores, tum debilius propulsas; adeoque in visceribus, quae permeant, obstructionibus concinnandis viam sternere, eorumque functiones laedere; quo crudior erit succorum indoles, eo in visceribus chylo conficiendo famulantibus, hepate puta, liene, pancreate, glandulis mesentericis, aliisque obstructiones crebriores fient et pertinaciores; eoque ipsa ineptiora reddentur quae bono chylo faciendo debitam opem ferant: et vicissim quo crebriores et magis confirmatae sint hae obstructiones, eo crudior fiet chylus, utpote eo majori viscerum memoratorum efficaciae parte privatus. Pari ratione iisdemque de causis obstructiones etiam in cerebro fiant necesse est, quae quo majores, eo spirituum bonorum ibidem separationi magis ob-*

*stabunt*

*ſtabunt: et viciſſim quo pejores ſpiritus in cerebro ſecernuntur, eo erit viſcus illud obſtructionibus magis obnoxium, propter ſuccorum cruditatem a ſtatu morboſo nervorum et ſpirituum pendentem. Haec itaque omnia vitia, videlicet laxa cerebri et nervorum debilitas; aquea nimis, pauper, effoeta, nimis mobilis, nimiſque fugax et diſſipabilis ſpirituum animalium indoles; depravatum coctionis alimentorum in viis primis exercitium; ſuccorum cruditas; viſcerum chylo faciendo inſervientium, ipſiuſque cerebri obſtructiones, ab inaequabili liquidorum per multiplices canalium ſeries propulſione exorientes; haec inquam vitia, quum connexa invicem ſint, et concatenata, labente tempore quaſi per circulum augebuntur: omniaque aegro in pejus ruent, donec morbus ad* ακμην *pervenerit. Quibus ſi inſuper adjiciatur aliqualis ſuccorum acrimonia nata ex ſpontanea degeneratione propter in-*

*geſta*

*gesta imperfecte animali naturae assimilata, et indolem propriam nimis retinentia, utique habebuntur principia, quibus omnia morborum hypochondriacorum et hystericorum symptomata, me judice, commode, et absque ulla inflectione aut detorsione, quousque hodie perspecta est oeconomia animalis, explicari et resolvi queant.*

*Longum nimis esset, illustrissime vir, et alienum a proposito nostro qui tractatum justum non molimur, numerosa, quae in hisce morbis conspiciuntur, phaenomena hic loci sigillatim expendere, et cum modo tradita explicatione comparare. Uberem eorum catalogum secundus poematis liber exhibet; in quo nonnullorum etiam solutio theoretica proponitur: reliqua pleraque ibidem recitata lector quivis in hujusmodi rebus modice versatus, ex principiis supra positis haud magno negotio ipse deducere poterit. Nunc autem*

*tem aliquot duntaxat morborum, quos tracto proprietates, quibus eorum natura plenius illustratur, speciatim considerabo; obiterque autoris saepius supra laudati theoriam ad eosdem spectantem, si non aliqua ex parte erroneam et falsam, imperfectam saltem esse, et supplemento egere ostendam. Quibus factis, literas hasce, quae in majorem quam putaveram molem crevere, claudam et obsignabo.*

*Hypochondriacos et hystericas, si confirmata fuerit labes, morbi acuti, sive epidemici, sive intercurrentes rarius aggrediuntur. Hoc ex eo fit, quod in illis fibrae laxae debilesque sint, succique crudi, motusque humorum languidior, atque adeo minor calor corporis summatim considerati quam in sanitate: Contra in hisce liquida exaltentur fibraeque rigescant ultra sanitatis modum, majorque calor in corpore exoriatur*

*tur propter validiorem humorum per vaſa propulſionem. Sunt igitur morbi, quos tracto, acutis ex diametro oppoſiti. Propterea fit ut fortior cauſa requiratur iis producendis in hypochondriacis et hyſtericis, quam in perfecte ſanis, quoniam ab extremo in extremum difficilior et operoſior eſt tranſitus. Quo ſpectet aphoriſmus ille* Hippocratis, " *Qui acidum ructant* " *morbo laterali non tentantur."*

*Si vero morbus febrilis nervorum debilitate laborantes invaſerit, feliciterque ſuperetur, cerebrum et nervos firmiores, quam prius fuerant, plerumque relinquit, morbumque prius infeſtantem vel tollit, vel minuit ; eoque potentius benignum illum effectum producit, quo acrior fuerit et vehementior. Etenim velox et validus humorum per vaſa et viſcera motus paucorum dierum ſpatio celebratus aequipollet forti et diu-*

*turno exercitio: et proinde, ſi viſcera omnia ſana relinquat, debet fibras minimas, particulas earum fortius compingendo, robuſtiores et rigidiores, magiſque elaſticas, quam antea fuerant, reddere; adeoque cerebri nervorumque tonum firmare, eadem prorſus ratione, qua validum exercitium parem effectum in operariis quotidie producit. Porro viſcerum obſtructiones minus pertinaces motu febrili poterunt reſerari; (accedente imprimis temperata, et humida victus ratione, quae febricantibus, ut plurimum, adhiberi ſolet, et debet) et ſic una ex primariis morbi prioris cauſis ſubtrahi. Nec ſolae febres continuae nervos roborant, verum etiam et intermittentes; quae proinde, ſi hypochondriacos hyſtericaſve occupaverint, ocyus abigendae non ſunt; ſed ſuo genio, quantum aegri vires ferendo ſunt, relinqui. Quo enim diutius duraverint, ſi tandem aeger convaleſcat, eo firmius*

*ence-*

*encephali ſyſtema concinnant, ut non raro obſervavi. Unde ſaepius animum ſubiit credere, quod ſi certam tutamque methodum calleremus inducendi tertianam vel quartanam febrim, multum proficeremus in iis morbis curandis, qui a nervorum, et ſpirituum imbecillitate pendent. Olim legi, ſed quo in libro memoria excidit, ficus quaſdam in exteris regionibus naſcentes talem effectum praeſtare, quae propterea febriferae dicebantur ; quid veri ſubſit neſcio.*

*Morbus, cui illuſtrando incumbimus ſaepe cum aetate ſponte fugit, et conſeneſcentes deſerit, obſervante* Hippocrate *. *Etenim gliſcente ſenectute fibrae nervique omnes aridiores, et rigidiores, quam antea fuerant, paulatim reddun-*



* Vide tres inſignes locos in libro de morbis ſecundo ; quorum primus incipit, Morbus ſiccatorius, ſectione LXIV : Secundus, Morbus ructuoſus, ſectione LXVII : Tertius, Morbus niger, ſectione LXXI Editionis *Vanderlinden.*

*tur. Quum igitur humida debilisque staminum laxitas sit primaria horum affectuum causa; seniumque eo suapte natura tendat ut eam laxitatem superet, utique mirum non est, quod multi hypocondriaci et hystericae, vergente aetate, absque notabili auxilio vel victus, vel medicamentorum, melius indies agentes tandem omnino sani evadant; quando nimirum ea, quae perpetiuntur, mala minora sint commodo, quod crescens aetas adfert.*

*Si vero morbus in vergente aetate constitutos deseruerit, iidem cruda, quod ait poeta, viridique, senectute postmodum fruuntur; et longaevi plerumque fiunt. In morbo enim, ut supra est ostensum, liquida in minimis vasis fluentia sunt tenuiora magisque aquea quam in perfecta sanitate. Ergo vasa minima ejusmodi fluento jugiter irrigata et repleta diutius aperta manebunt,*

*quam*

*quam manſura eſſent, ſi abfuiſſet morbus. Quum autem ſenii ratio ea ſit, ut multa vaſa exiliſſima ſibi invicem appreſſa obliterentur, et concreſcant in fibras ſolidas et impervias, manifeſtum eſt ſenectutem in hiſce affectibus protelari. Videre itaque eſt hypochondriacos hyſtericaſque, ſine morbis ſuis tandem triumphaverint, illa ſaepe aetate, qua ſeneſcunt reliqui, juveniles revera agere; ſenſuque tam internos, quam externos (praecipue viſum) vividiores et acutiores retinere; ſeroque tandem ſenes factos grandaevos mori. Quam quidem pulcherrimam obſervationem fateor me erudito, ut experto viro ſaepius laudato debere.*

*Verum, ut aperte agam, videtur ipſa illa obſervatio cum ejuſdem autoris theoria parum feliciter congruere. Siquidem ille in libro de eadem materia ſpeciatim conſcripto ſuccorum viſciditatem*

*tem et acrimoniam fibrarumque laxitatem perpetuo incusat, tamquam horum morborum causas primarias et fundamentales; illosque in pathematis hisce semper tenaces nimis, et viscidos esse pronunciat, nisi forte in extremis aegritudinis stadiis, ubi viscere aliquo nobili corrupto, hectica sanguini reliquisque humoribus labes superinducta crasim eorum frangit, et dissolvit. Si vero succi omnis generis, tum qui in vasis majoribus, tum qui in minimis exilissimisque circumfluunt, (nam nusquam distinguit, absolute ubique et generaliter loquens) viscidi nimis sint, et tenaces, qui poterit senectus a morbis hisce protelari? An humorum spissitudo universalis, et ad canales minimos permeandos tarditas, quae una, et quidem primaria est causarum senium producentium, senio arcendo symbolum conferet? An succorum omnium viscositas nimia oculi pelluciditatem, visusque acumen, imaginationem vividam et versatilem,*

*ſatilem, memoriam firmam et expeditam, artus denique flexiles agileſque conſervare poſſit? An vaſa minima ideo tardius in fibras ſolidas et impervias concreſcent, quod liquida omnia per plures annos aequo craſſiora facta tubulis ſuis ingrediendis tranſeundiſque ineptiora evaſerint, aptiora vero quae eos collapſos, vel compreſſos coagmentari ſinant, vel una cum iis in conſiſtentia, et imperforata ſtamina coeant, et conglutinentur? Utique deberet potius ſenectus praeter naturae modum praecox inde concinnari: et ſuperato morbo, quantumvis perfecte, ſenium mehercule longius removeri nequiret, quam ſi ſanus per omnia manſiſſet homo. Poſita enim generali ſuccorum viſciditate, nulli poſſent tubuli manere aperti poſt diutinam talis viſciditatis durationem, qui, ſi haec abſuiſſet, coaluiſſent; multi vero, ſanitate tandem reſtituta, penitus, et extra omnem reſerationis ſpem occluſi,*

*et*

*et impervii concrevissent. Ne vero temere nimis et ambitiose, utpote uno tantum argumento fretus, tanti nominis viro obsistere videar, permitte quaeso, humanissime* Shavi ! *ut rationes quasdam alias, quae in id impulere, longiuscule persequar; eademque libertate proponam, qua ille suas contra vetustimum illud, et ab omnibus fere medicis receptum dogma de spirituum animalium existentia adornatas in medium protulit.*

Hanc veniam petimusque damusque vicissim.

*Primum igitur, merito dubitari potest, num in iis, quos tractamus affectibus liquida illa, quae canales majores adimplent semper tenacia nimis, et viscida fiant, etiam extra ultima eorum stadia de quibus supra, nec ne. Quamquam enim concederetur in hypochondriacis hystericisque victu pleno, lauto, opiparo, in quo multum semper pinguis est, et glutinosi, quotidie*

*uten-*

*utentibus, ſanguinem, ſuccoſque immediate inde ſeparatos tenaces nimis et viſcidos deprehendi; quoniam hujuſmodi ingeſta vi coctrice, quae in morbis hiſce ſemper debilior eſt, domari, propriamque naturam deponere renuunt: quamquam etiam concederetur majorem affectorum partem iſtiuſmodi dieta vel etiamnum veſci, vel olim antequam aegrotarent veſci ſolitam; ſymptomataque eo, caeteris paribus, moleſtiora, et acerbiora percipi, quo cibi potuſque pleniores meracioreſque ingeruntur, utpote concoquente facultate eo minus domabiles; adeoque plerorumque, ut ſe res habent, hypochondriacorum et hyſtericarum gravius laborantium ſanguinem venis eductum ſpiſſum nimis, et viſcoſum conſpici: quamquam haec omnia concederentur, nihilominus tamen fatendum, nonnullos diverſam plane victus rationem inire, ſemperque iniiſſe, qui tamen tali labe immunes non ſunt. Multae puellae*

*potibus aquoſis theae et coffeae ſeſe ingurgitantes, carne ſolidiſque eſcis parciſſimis utentes, ſummeque abſtemiae, ſymptomatibus tamen hyſtericis iiſque moleſtis admodum et pertinacibus plectuntur. Unde miſellis hiſce ſuccorum viſciditas? Annon harum cruor venis emiſſus dilutus ſaepe, pallidulus, grumoſa parte pauca, ſeroſa multa fluidus nimis deprehenditur? Mulieres non paucae, imo pleraque hyſtericae menſium fluxu immodico periodice exhauriuntur; et quo copioſior ea profluvies, eo magis exacerbantur cerebri et nervorum mala. At certe vaſorum ſanguiferorum vacuatio nimia ſanguinem tenuiorem et aquoſiorem, non viſcidiorem tenacioremque reddit. Partus laborioſus, et quae inde ſequuntur haemorhagiae, et fluxiones plurimas foeminas prius mediocriter ſanas hyſtericae affectioni cruciandas traducunt. Sed credibile non eſt puerperam, cui deplentur mul-*

*tiplici fluore canales, quaeque per plures septimanas victu tenui, et temperatis sorbitionibus decumbens alitur, succos viscidiores, quam ante habuerat, nancisci. Denique, ut de viris aliquid addam, nonne saepe mercurius iis symptomata ad malorum hypochondriacorum classem omnino referenda inducit? Videatur historia, quam tristissimam de seipso narrat* FULLERUS Medicinae Gymnasticae *autor. Annon post ptyalismum pleniorem absolutum, et profligatum inde penitus morbum venereum, etiam repletis denuo vasis, viribusque instauratis, imbellibus non raro nervis et spiritibus adeo languet homo, ut nequeat credere se persanatum esse; sed inani jugiter metu torqueatur, ne recurrat morbus, teste clarissimo* Joanne Friend? *At certe, vel ipsius, cum quo disputatur, sententia, Mercurius sanguinem reliquosque, quos attingit, succos attenuat, solvit, et fundit. Quum igitur causae*

 *quaedam*

*quaedam morbis hypochondriacis hystericisque viam sternant, quae sanguinem caeterosque humores adeo non viscidiores tenacioresque reddunt, ut revera dissolvant et tenuent; videtur sequi legitima conclusione eorundem tenacitatem, utcunque saepe in Pathematis hisce reperiatur; semper tamen (etiam extra ultima eorum stadia supra memorata) locum non habere; et proinde iis essentialia, si accurate velimus loqui, habenda non esse.*

*Secundo; non pauca sunt morborum, de quibus agitur, phaenomena constantissima, quae generali succorum lentori, et visciditati adeo non congruunt, ut toto, quod aiunt, coelo distent. Hujusmodi sunt promptus nimis et exquisitus doloris et voluptatis sensus; cogitatio velox et versatilis; impatientia; affectus levibus causis excitabiles; inconstantia; ingenium acre et*

*penetrans;*

*penetrans; aliaque similis notae. Quid quaeso commercii, quid affinitatis interest inter haec, et inertem hebetemque, et proinde minus mobilem succorum omnis generis visciditatem? Respondebitur fortasse secundum laudati viri mentem haec ex eo produci, quod stamina minima, seu nervi in hisce morbis ita sunt comparati, ut minutis vibrationibus, tremulisque motibus levi nimis de causa cieri queant, vel aetheri* New-toniano, *oscillationum earum causae immediatae, ut ipse sentire videtur, facilius, quam par est, morigerantes, vel succorum eos undique ambientium et alluentium acrimonia vellicati, et in tales reciprocationes acti. Sed responsum hocce, quo congruenter cum authoris nostri sententia, melius excogitare non possum, facili negotio retunditur et profligatur. Etenim cum solida stamina in morbis hisce aequo laxiora, minusque elastica ipse statuat, omnesque consentiant, qui fieri potest*

*test quacunque de causa, ut ea facilius in motus oscillatorios incitentur, quam si sana, id est tensa magis, magisque elastica essent? An chorda musica quo laxior ei vibrationibus minutis iterandis aptior? An minuta elasticitas majoris elasticitatis effectus exhibere queat? Æther certe* Newtonianus, *qualiscunque demum ille fuerit, neutiquam poterit hoc praestare. Haec certe mira esset ejus proprietas, qualisque omnia Materiae subtilis Cartesianae miracula longe transcenderet, et superaret. Sed pudet hisce diutius immorari. Quod ad succorum acrimoniam attinet, non negarim eam, affectus quos investigamus, si notabili saeviant gradu, semper comitari, quoniam languente facultate coctrice, et torpescente motu, humores animali naturae imperfecte assimilati, et ingestorum naturam nimis retinentes, spontanea plus minus vitia contrahunt; adeoque scorbutus cum iis, si radices altiores egerint,*

*rint, numquam non complicatur. His tamen non obſtantibus, probatu facile eſt Phaenomena ſupra memorata a ſuccorum acrimonia non produci, tamquam a cauſa ſpecifica, et adaequata. Etenim ea in ipſis morborum, de quibus agitur, initiis apparent, ubi acrimonia inſignis eſſe nequit, nec aliis notis evidentibus ſe prodit. Contra vero, in ſcorbuto primario, rheumatiſmo, lue venerea, phthiſi purulenta, etiam gradum provectiorem adeptis, in quibus ſummam eſſe ſuccorum acrimoniam omnes medici fatentur, vel non omnino conſpiciuntur praedicta ſymptomata, vel non ita magna ſunt, ſaltem non ita conſtanter iis adhaerent. Ergo non debent ſuccis acribus tamquam cauſae praecipuae imputari. At certe a generali humorum lentore, et ad motum tarditate deberent potius contraria produci. Quum enim ea, de quibus lis eſt, phaenomena velociores mentis actiones, vel paſſiones demonſtrent,*

*ſtrent, velociores etiam motus corporeos iis reſpondentes, quamdiu anima cum corpore unitur, poſtulant.*

*Ex iis, quae jam dicta ſunt, ſi nos rationem recte ſubducimus, concludere licet theoriam in tractatu de morbo Anglico traditam ſequentibus laborare incommodis. Primo quum autor ſuccos in hiſce affectibus (abſolute et generaliter loquens) ſemper viſcidos nimis et tenaces eſſe pronunciet, ultimis ſtadiis exceptis, ſi intelligat ſuccos omnis generis, tum eos, qui in vaſis maximis, tum qui in minimis continentur, falſum aſſerit, niſi falſa ſit illa propoſitio quam me ſupra demonſtraſſe puto. Si vero eos tantum humores intelligat, qui majores canales implent, et qui vena ſecta educi queunt ſenſibuſque objici, utique parum accurate agit hos ab illis non diſtinguens: tum praetermittit indicare nimiam tenui-*

*tenuitatem liquidorum vaſcula exiliſſima permeantium, quam morbis hiſce propriam eſſe docui. Porro dubitari merito poteſt num illi ipſi ſucci, qui in majoribus tubis circumfluunt, in hiſce pathematis ſemper nimis ſpiſſi ſint nec ne, etiam extra ultima eorum ſtadia; dubitandi cauſae jam traditae.*

*Haec fere ſunt, vir celeberrime, quae de morbis hiſce in* Britannia *noſtra adeo frequentibus in praeſenti dicenda habui; quibus tum quaedam breviter et obſcurius in tractatu metrico ſuggeſta illuſtrari poſſent, tum placita noſtra cum aliorum opinionibus pugnantia defenderentur. Olim forte, modo vitam et vires Deus dederit, nec ampla ſatis obſervationum ſupellex defuerit, eandem materiam fuſius retractabo. Tu interea, pro humanitate tua, et ſuaviſſimis moribus, compendiaria et defunctoria haece*

*aequus facilisque accipe; et quo hactenus ingenii pollens acumine, qua eruditione multiscia instructus, qua constanti diligentia perseverans, quo denique ardore commoda humana promovendi flagrans, rempublicam literariam auxisti, iisdem artes et scientias, medicinam imprimis,* Verulamii *tui vestigiis insistens amplificare feliciter, quod facis, perge!*

*Dabam Regioduni ad* Hullam,
*calendis* Juniis *anni* 1738.

NEURO-

# NEUROPATHIAE

LIBRI TRES.

# POEMA MEDICUM.

# *NEUROPATHIAE*



## LIBER PRIMUS.

CASTA animi Pallas; purae rationis amatrix;
Incola ſanctorum cordum; Jovis omnipotentis
Progenies; quae frugiferas mortalibus artes,
Dulciaque humanis adfers ſolatia rebus:
Quae fida errores deluſae inſomnia mentis
Fucoſa verum ſpecie referentia pellis:
Quaeque hominum genus a recti regione, bonique
Deflectens, palanſque tuo regis inclyta ductu;
Ac tutum per iter regna ad felicia portas:
Huc ades audaci aſpirans pulcherrima coepto!
Morbum etenim obſcurum verſu illuſtrare Latino
Aggredior; miſeros torquet qui ſaepe Britannos;

Anglicus unde etiam affectus perſaepe vocatur ;
Qui cerebrum diae ſedem rationis, et ipſos
Inſtrumenta voluptatum, ſaevique doloris
Occupat imprimis exilia ſtamina nervos ;
Inde omnes animi vires ſternenſque domanſque.
Quo magis arride noſtris conatibus aequa !
Dum quibus horrendae peſtis tribuatur origo
Seminibus : qualis morbi natura profundi :
Quam varias fallax ſpecies, vultuſque minaces
Induat : et quid opis promittant arte medentes
Eruere ; et fidis praeceptis tradere nitor :
Ex caſtis ſophiae penetralibus omnia promens.

Tu qui carminibus noſtris, *Lantone*, ſolebas
AEquior eſſe ; decus gentis columenque vetuſtae :
Cui pietas, et priſca fides ; animuſque Britanno
Dignus ; et in tantis opibus moderatio rara ;
Grandiaque ingenium capiens, facundaque lingua :
Qui nive candidius pectus geris ; et bonitate

Extenſa genus humanum complecteris omne:
Ne medicum Arctoi vatis contemne laborem!
Quo tibi dilectis concivibus utilis eſſe
Nititur; aerumnaſque aegris depellere magnas
Corporibus, quae ſuffundunt foedantque nigrore
Vitam omnem, miſcentque veneno gaudia quaeque.
Sic, *Benedicte*, tibi pro votis omnia fiant!
Sic morbi ſemper maneas immunis avari!
Sic et fida comes, quae nuſquam defuit ante,
Haereat aſſidue lateri tibi Coeſia Pallas!

Ergo age, ſi ad notas paulum ſecedere muſas
Nunc vacet, arrectas aures adhibe, vacuaſque:
Nec bona conanti pudeat faviſſe poetae.

Principio, liquida ut clueat Doctrina, ſciendum
Magnam illam cerebri molem, niveaeque medullae,
Concava quae interni capitis loca totius opplet;
Inque globi effingit cranî juncta oſſa figuram;

Sic fabricatam eſſe et ſtructam mira ratione, ut
Vitalis quae pars rivi tenuiſſima longe,
Mobiliorque fluit, reliquo et mage pura liquore,
Vi cordis projecta, et molli appreſſa cerebro,
Mille per anfractus, inviſibileſque meatus
In cava nervorum tandem colata feratur.
Inde fluens intra tubulos refluenſque minutos,
Ictibus atque ortus proprios perſaepe laceſſens
Senſum omnem motumque homini ciet; omnia rerum
Menti offert ſimulacra modis variantia miris;
Atque animi affectus idem liquor excitat omnes.
Hinc meminere homines rerum facile anteactarum
Hinc pulchra evadunt magnis ratione pares dîs.
Qui quoniam longe pulcherrima cuncta animalis
Munera obit; quaeque a plantarum ſtirpe virenti
Secernunt, removentque procul genus omne animantum;
Spiritus hinc doctis animalis rite vocatur.

Hoc placitum nuper nonnulli inſurgere contra
Coepêre; et falſis freti rationibus ipſos
Haud bene contendunt dici cava corpora nervos;
A cerebroque per hos nullum tranſire liquorem.
Nimirum quia non oculis ea cernere poſſunt,
Quae, ſi certo eſſent, viſum tamen effugere ipſum
Deberent, aciemque humanam fallere longe,
Inventis utcunque ſit haec munita dioptris.
Hi Chordarum inſtar nervos celeri undique motu
Corporibus pulſos ſtatuunt, tremuloque cieri;
Percuſſumque ipſis pariter trepidare cerebrum.
Hinc ſentire volunt hominem; quin et ratione
Pollere; atque artus varios hinc inde movere,
Neſcio quo tractis vibratiſve impete fibris:
Sanguinis aut craſſi loca per diverſa cerebri
Impulſu fluxuque, et multiplices maeandros:
Abſque ope laudati fluidi, tenuiſve liquoris.
At male: nam quo vibrari queat impete pulſus

Humi-

Humidus, et molli laxus compagine nervus ?
Praeterea tenui ſpolietur parte neceſſe eſt
Per caecos cerebri truſa, exileſque meatus
Tortilibus textos vaſis, vitale fluentum.
Hanc autem trahere in ſe, et tranſmittere nervos
Omnino vero ſimile, atque probabile conſtat.
Pars etenim cerebri exterior, cineriſque colorem
Subfuſci referens, et cortex nomine dictus,
In dura, et nivea finitur ubique medulla ;
Exſuccis mage quae ſtruitur, fibriſque coactis :
At nervi exoriuntur ab hac, fiuntque medulla ;
Et ſic compoſiti corpus diduntur in omne.
Caetera de genere hoc pleno ſermone quotannis
Eloquio pariter fulgens, et Apollinis arte,
Explicat, et ſuavi ſtabilit *Boerhavius* ore :
Dulce decus medicique Chori, gentiſque Batavae :
Carmine quae poſſunt vix ennarrier apte ;
Barbariem propter vocum et rerum novitatem.
Summatim tetigiſſe, et perſtrinxiſſe ſatis ſit.

Spiritus hic firmo ſi fiat rite cerebro ;
Nerviſque exceptus ſanis fluitet, validiſque ;
Tunc hominem omnino recte ſentire neceſſe eſt :
Tunc ratione uti ſana datur, atque ſerena :
Tunc alacri gaudere animo, firmoque vigere :
Et bene, conſtanterque omnis pulcherrima vitae
Munera obire : fruique anima feliciter uſque :
Ut cujuſque ſinit fabrica, et nativa animi vis :
Sint reliquae imbelles licet omni in corpore partes :
Sint externa etiam quamvis male proſpera cuncta.
Daedala vero animae ſi haec inſtrumenta laborent,
Officiis et laeſa modo fungantur inerti ;
Omnia contingunt contraria : nubila mens eſt :
Deprimitur moerore animus, turpique timore :
Toedet et ingratae ſpatium decurrere vitae :
Sint reliquae ſtabiles licet omni in corpore partes :
Sint externa etiam quamvis felicia cuncta.

Aſpice divitiis quoſdam, tituliſque ſuperbis
Florentes, famaque bona, viridique juventa,
Ingeniiſque acres, et duro robore firmos,
Nonne vides languere pigros, et munera quaeque
Torpentes, totoque enerves corpore, obire ;
Crudelemque aegre trahere, et diſperdere vitam ;
Sint ipſi morbis licet intacti manifeſtis ?
Non caementa juvant triſtes, aequataque coelo
Fabrica ; non arbuſta juvant, et amoena vireta ;
Auro ſpernuntur veſtes, oſtroque decorae ;
Atque epulae, feſtique dies, celebreſque choreae.
Scilicet his cerebri vires, nervique fatiſcunt ;
Materies et ſpirituum corrumpitur omnis :
Vividus hinc vitae ſenſus perit, et ſapor acer :
Innatuſque homini ſano vigor, atque animi vis :
Sint reliquae ſtabiles licet omni in corpore partes.
Quin et conficiunt ſeſe perſaepe, ſuaſque
Projiciunt animas tentantes limina lethi ;
Uſque adeo toedet coeli convexa tueri.

Miratur, causasque eventus quaerit acerbi
Morborum ignarum vulgus, fabricaeque animalis;
Delirosque fuisse alto pronunciat ore.
At contra tenui depressos forte videbis ;
Ingeniis, fama obscuros ; gelidaque senecta
Tardatos ; morbisque graves ; mortique propinquos ;
Queis tamen est animus praesens, et ad omne paratus
Officium ; reliquamque alacer decurrere vitam ;
Et fortis mala ferre, bonis cupidusque potiri.
Nempe est nervorum et cerebri vigor integer ollis;
Dum reliquae imbelles sunt, et sine robore partes.

Nunc quibus imprimis causis, et qua ratione
Nervorum cerebrique tonus, viresque labascant ;
Spiritus atque una vitietur et ipse cerebri ;
Visceribus reliquis constantibus, integrisque,
Vel minimum laesis ; solers adverte, docebo.

Principio varii humores in corpore vivo,
Qui craſſo ſecernuntur, rutiloque fluento,
Tortilibus glandum vaſis, celliſque minutis,
Qualis adeps, biliſque acris, pituita tenaxque,
Et liquidum genitale, et ſpiritus ipſe cerebri ;
Ut propriis quique officiis apti generentur,
Organa recte ſeſe habeant ante omnia oportet,
Nativa quae quaeque ſuum virtute liquorem
Secernunt, et ſejungunt a ſanguine craſſo ;
Quin et nonnihil immutant ſimul ipſa ſua vi.
Multiplex et praeterea concoctio rite
Viſceribus debet ſanis peragi, validiſque,
A manducato, deglutitoque alimenti,
Uſque ad purpurei mirandum ſanguinis ortum :
Materies qua quaeque fluens in ſanguine foeto
Succis aſſimilata animalibus, atque ſubacta,
Solvatur, vel mutetur tali ratione,
Glandibus ut propriis coletur idonea cuique

Sincero

Sincero liquido, et perfecto conſtituendo :
Hinc intacta ſalus, omnique ex parte beata.
Aſt infiniti cum ſint ſpecie, numeroque,
Humores noſtri, nihil obſtat, nec prohibet quin
Illius aut hujus turbetur coctio ſaepe,
Dum reliqui male non fiunt, fluitantque ſalubres;
Aut vitio forte exiguo, leviterque laborant.

Porro ſaepe adeo levis eſt, adeoque minutus
Cocturae primae defectus, ut is nequeat ſe
Prodere, dum fervent medio inſtrumenta labore;
Succorumque illud vitium, quod naſcitur inde,
Non raro tectum lateat, jaceatque ſepultum,
Dum permiſta fluunt vaſis liquida omnia magnis.
Verum ubi multigenos humores daedala glandum
Fabrica delectos e ſanguine traxerit omni,
Tortilibus ducens vaſis, celliſque reponens;
Tum demum, officiis propriis ſi quilibet horum
Defuerit, quaedam laedatur nempe neceſſe eſt.

Functio; et hoc ipſum pacto clareſcere debet
Humoris vitium, quod celatum ante latebat:
Ut docet exemplo manifeſto ſaeva podagra.

Denique cruda diu ſi materies generetur
Illius aut hujus ſucci, et culpabilis uſque
Coctura fiat prima; tum fabrica glandis,
Quam rivus penetrat vitioſus, et alluit uſque,
Tandem laedatur, labefacteturque neceſſe eſt:
Paulatimque minus reddatur idonea recte
Muneribus propriis, et conſtanter peragendis;
Materies etiam ſi poſt bona ſuppeditetur:
Hinc confirmetur vitium creſcatque neceſſe eſt.
At vero glandes ipſae ſi ſponte laborent,
Aut nimium laxa aut ſtricta compagine cretae;
Aut cava cellarum propriarum obſtructa gerentes,
Aut alio quovis morbo victae teneantur;
Tunc ſanum haud poterunt humorem fundere
certe;

Materies licet has attingat ſana habiliſque ;
Ut cuivis perpendenti liquido pateat res.

His fundamentis ſtabilitis, nonne videre eſt
Subtilem valde encephali, celeremque liquorem,
Ipſius male ſi peragatur coctio prima,
Aut cerebrum imbelli fuerit compagine laxum,
Aut eadem imprimis, quod ſaepius, utraque fiant,
Degenerem, crudumque diu fieri, et fluitare
Poſſe, licet reliqui ſucci bene conficiantur ;
Vel vitio tantum exiguo leviterque laborent ?
Quin et, cunctorum cum ſit tenuiſſimus idem,
Quamvis morboſus fuerit, tamen omnia vaſa,
Quae quemvis alium admittunt, capiuntque liquorem,
Tranſibit facile, et tardabitur obice nullo ;
Atque adeo nullas turbas, nulloſque tumultus
In liquidis faciet craſſis, vaſiſque alienis.
At vero in cerebrum, et nervos cum venerit ipſos

Mendoſus liquor, et longae ſuperaverit omnes
Anfractus, tortuſque viae, caecoſque meatus;
Tum demum officiis propriis circumfluet impar:
Paulatimque ipſos nervos et molle cerebrum
Corrumpet crudi laticis, vapidique fluenti
Perpetua alluvie, cellas penetrante per omnes;
Compagem teneram labefactante atque liquante.
Spiritus hinc ſemper culpabilis injiciet ſe
In cava ventriculi, et chylo miſcebitur omni;
Nervorum patulis deſtillans oribus illic.
Viſceris et quoniam illius rector ſtimuluſque
Spiritus eſt, tarde exercebitur, et vitioſe
Functio ventriculi mutans ingeſta, coquenſque:
Crudaque materies liquidi conflabitur uſque
Nervorum, effoeto fermento ſuppeditato;
Crudaque reddetur nervis, mollique cerebro.
Hinc morbus confirmetur, creſcatque neceſſe eſt.

Praeterea longo ſi duret tempore labes,
Debilitabitur ulterius, languenſque fatiſcet
Daedala nervorum, et teneri ſtructura cerebri:
Nimirum quoniam a crudo, vapidoque liquore
Nutritum debent omnem trahere, atque alimenta.
Omni etenim momento animali in corpore vivo
Extenduntur, et elongantur tenuia vaſa,
Vi propulſorum jugi diſtracta liquorum:
Diductis hinc a ſe partibus attenuantur:
Fineſque avulſi franguntur, et abraduntur;
In cute ſquamarum forma ſpecieque cadentes,
Aeris attactu deſiccati, atque coacti:
Interne vero liquidis mixti abripiuntur.
Aſt interſtitia, et defectus inde relictos
Non alius ſupplere liquor, ſarcireve poſſit,
Quam qui eadem penetrans pertranſit et alluit uſque.
Nervi igitur tenues nimirum, et molle cerebrum

Nutri-

Nutritum a propriis liquidis quaerunt, capiuntque ;
His etenim mage nequaquam ſubtilia dantur.
Aſt eadem vero male cocta, et inertia ſi ſint,
Debiliter compingantur, laxeque neceſſe eſt,
Queis nervi conſtant ſtructi, cerebrumque elementa :
Proptereaque ipſis robur virtuſque fatiſcat.

Atque haec multiplicis morbi, et valde fugiendi
Principia et Cauſae. Tribuerunt nomina inepta,
In maribuſque hypocondriacum dixere medentes;
Hyſtericum vero in foemellis nominitarunt :
Scilicet ex uno morbo binos facientes;
Ignari labis naturae, et originis altae.
Ejus enim ſedes primaria viſcere in ullo
Chylifici ventris non eſt ſtabilita profecto :
Immeritoque uteros medici culpant muliebres.
Aſt ſolium in cerebro, et nervis liquidoque locavit

Nervorum, ſceptrum quatiens effraene tyrannus
Crudelis; totoque tremendus corpore regnat.
Scilicet ille liquor, qui ſanis continet in ſe
Attenuata, probeque ſimul permiſta elementa,
Nempe ſalem, blandumque oleum, terraeque minuta
Corpora, ſubtili lymphae fluitantia rore;
Vi vitae valide conquaſſata atque ſubacta;
Degener hoc morbo factus, vapiduſque aqueuſque;
Paucaque complectens elementa animalia pauper;
Mobilitate celer nimia, nimiumque ſolutus
Diffluit, et nervis ſubito nimis evolat ipſis.
Et cerebri, nervûmque, valentibus et bene ſanis
Quae contenta gradu quodam, atque elaſtica conſtant
Stamina, pro ſexu variaque aetate animalis;
Compactiſque vigent inter ſe firma elementis;
Debilitata mala labe, et compagine fracta,
Intempeſtiva molleſcunt flacciditate:

Dum crudus, tenuiſque humor nimis alluit omnes
Anfractus, tortuſque vagos, cellaſque cerebri,
Nervorumque tubos, et flumine macerat udo.
Quin et debiliter conjectis ipſe elementis,
Ut docui ſupra, teneras male nutrit, alitque
Nervorum et cerebri fibras, et daedala vaſa ;
Virtutem roburque evertens corpore toto.

Qui vero in victu errores, cauſaeque remotae
Horrendam inducant peſtim mortalibus aegris ;
(Saevior et nunquam ſtygiis ſeſe extulit undis)
Omnia veridico deſcribens carmine tradam.
Nam neque ſors hominum eſt adeo miſeranda graviſque,
Haec ut, ſi parent naturae legibus aequis,
Irruat, et cumulo ſeſe addat ſponte malorum.
Culpa opus, ut morbi moles condatur acerba.
Quo magis haec, fidis recitans quae verſibus addo,

Pectoribus ſcribenda imis, ſignandaque firme ;
Ut morbi aerumnas vitare queamus amaras.

Illud in his vero rebus cognoſcere oportet,
Quod quibus uſque fuit natura debile, inerſque,
Et laxa nimium compagine molle cerebrum ;
Nervorumque parum creſcente aevo ſolideſcunt
Stamina, flexilibuſque manent nimis humida fibris,
Infantum quales nervi fibraeque recentum ;
Omnibus his morbus facile ingruat ; utpote cauſis
Qui levibus concinnari queat, et ſtabiliri :
Foemineuſque adeo ſexus maribus generatim
Saepius, et gravius pertentetur ; quoniam ſtat
Debilioribus inſtructus nervis, cerebroque.
Hos vero certis poteris dignoſcere ſignis
Plerique ingeniis ſunt acribus excelſiſque :
Primoreſque annos clarat ſapientia praecox.
Multa animo celeres verſant volvuntque profundo :

Atque ſere memori conſervant omnia mente.
Solliciti porro, plenique timoribus omnes;
Suntque verecundi nimis uſque in rebus agendis;
Atque animi leviter praeſentia mota labaſcit.
Ad riſum aut fletum faciles, ſenſuque doloris,
Atque voluptatis pollent nimis exquiſito.
Saevitiam horreſcunt omnem, longeque relinquunt.
Non impune unquam venas inflantur Iaccho:
Non veneri crebro licet unquam impune litare:
Non duros poterunt ullos tolerare labores
Conſtanter; nec longa quidem jejunia ferre:
Lucubratio denique obeſt inſigniter uſque.
Hos inquam morbus facile aggrediturque domatque,
Inductus levibus cauſis, culpiſque minutis.
Debilibus porro inſtructi nervis, cerebroque,
Indole flexibili cum ſint, infra recitandos
Admittunt facile errores, morbumque laceſſunt.
At multos, quibus haec ſemel inſtrumenta animâi

Dura ſatis, ſolidoque vigebant robore firma,
Non minus invadit labes, victoſque fatigat:
Quippe ipſam culpae enormes, victuſque ſolutus
Vi valida impellunt renuentem, urgentque potenter.

Et primum, illecebris qui capti ignobilis otî
Corpora torpentes minus exercent agitantque,
Ni firmi valde fuerint ab origine nervi,
Huic jaciunt morbo ſolidiſſima fundamenta.
Languet quippe ollis concoctrix inde facultas:
Spiritus et cerebri generatur crudus inerſque,
Debiliter conquaſſatis, coctiſque elementis:
Debiliterque ad ſe preſſae fibrarum adiguntur
Particulae, imbelles nervos ita conſtituentes.
Quin et cum vigilans aliquid molirier uſque
Cogatur, fugiatque animae natura quietem,
Quo minus exercet quis corpus, eo magis acrem
Cogitat intendens animum, cerebrumque fatigat;

Ingenio si non hebeti, tardoque laboret.
Unde quidem morbo plenissima suppeditantur
Pabula, nam tenuis cerebri liquor usque retentus
In capite, officiisque vacans velocibus illic
Muneribus dêrit reliquis in corpore toto;
Ventriculo imprimis, quo rite alimenta coquantur:
Spiritus hinc homini crudus conflabitur usque.
Nec quidquam cerebro et nervis, nervûmque liquori
Tantum oberit, quantum, fidentes credite, torpor
Corporis ignavus, si mens simul ipsa agitetur.
Hinc laedit sophiae studium vehemens; animique
Affectus diuturni: hinc lucubratio laedit;
Quae somno quoque maturo melius peragendam
Spirituum cerebri Pepsim turbat prohibetque;
Multiplexque adeo damnum mortalibus infert.

Quin etiam nervos frangit quaecunque voluptas
Saepe nimis renovatur, Iacchi munera laeti;

Et blandae veneris ſpecioſae dona puellae;
Et molles Italûm cantus, rythmique ſonori;
Atque epulae, feſtique dies, celebreſque Choreae.
Perpetuas nam delicias non Anglica ferre
Corpora; quae duro aptavit natura labori;
Quae valeant terram depreſſo findere aratro;
Aut valida annoſum quercum exturbare bipenni:
Aut pecori infeſtum curſu praevertere vulpem.
Ocyus inſequitur languor; plectitque ſevere
Quos blandum arridens pellexerat ante voluptas.
Torridus at populus, cui ſol incumbit eous,
Siccoſque indurat nervos calor aetheris ardens,
Et cerebri liquidum dives coquit ac generoſum,
Deſidiam, et luxum tolerat felicius omnem,
Quo non continuo morbi naſcantur acuti.
Non illis nervi torpent requie diuturna:
Non veneris laedit crebro repetita voluptas:
Et facere, atque pati fortes crudelia poſſunt.
Nobis frigenti, craſſoque ſub aethere natis

Encephali cessit systema infirmius; unde
Parce deliciis uti, corpusque movere
Cogimur usque, diu cupimus si rite valere.

Stravit saepe viam labi evacuatio magna
Vasorum, effoetos pariens in corpore succos:
Nonnunquam et morbi lenti; febresque malignae:
Et partus dolor excrucians laceransque misellas:
Et fragiles quatiens nervos fera mercurii vis.

Denique ventriculi minuunt quae ingesta vigorem,
Cocturamque ciborum homini turbant, prohibentque;
Aut crudum immittunt vasis, vapidumque alimentum:
Officiunt tandem nervis, fluidoque cerebri:
Imprimis usu longo si continuentur.
Hinc calidae nimium vulgatae sorbitiones

Coffeae, theaeque nocent; quae nil niſi gratam
Guſtatu praebent lympham, potuque calentem.
Has Aſiae credam regionibus eſſe ſalubres,
Altivolans ubi ſol humorem decoquit aeſtu;
Et torret ſolidas animali in corpore partes.
Talia ſed gelidis caute fugienda Britannis.
Quippe aciem obtundunt ſtomachi, fibraſque relaxant:
Et cerebri liquidum reddunt vapidumque, aquequmque.
Sponte quidem hoc craſſi madido prae frigore coeli,
Viſcoſiſque cibis, et lenti glutine potus;
Ni motu valido ſubigant concreta, coquantque;
Torpeſcit nimis Angligenis; nec corpora noſtra
Adverſos tolerant mores orientis aduſti.
Immaturi etiam fructus, alimentaque inepta
Plurima, queis tenerae capiuntur ſaepe puellae,
Traducunt morbo miſeras florente juventa.

Degeneres etenim pariunt in corpore ſuccos;
Atque adeo cerebri liquidum culpabile inerſque.
Quis foedam vero ingluviem, ardenteſque liquores
Non damnet? nimio quicunque impletur Iaccho
Saepius, et venis inimicum ſuſcipit ignem,
Omnimodas dabit is poenas, ſero reſipiſcens.

*Libri primi Finis.*



# *NEUROPATHIAE*

## LIBER SECUNDUS.

"O Fortunatos nimium, ſua ſi bona nôrint,
Queis cerebrum et nervi nativo robore pollent,
Spirituumque latex dives fluit, ac generoſus!
Non illi vitae detrectant munera honeſta,
Perpetuis domiti aerumnis, fractique dolore:
Nec laetos hominum coetus, turbaſque celebres
Suſpecti ſibi devitant, fugiuntve paventes:
Sed quocunque vocent patriai commoda charae,
Vel propriae res impellant, vel dulcis amici,
Ocyus advolitant cupidi, firmoſque gerunt ſe.
Non hypocondriacis pariter felicibus eſſe,

Hyſtericiſve licet, levius ni forte laborent ;
Quippe domat morbus, vincliſque coercet amaris.
Quo magis, incepti quae pars eſt altera noſtri,
Multiplicem facie peſtim, plenamque querelis
Depictam vivo ante oculos oſtendere fuco ;
Decurſumque notaſque mali deſcribere certas
Conferet : et caecos acri penetrare receſſus
Ingenio ; morbiſque aliis ſecernere caute :
Ut perſpecta peti certis queat undique telis :
Nec ſpecie ambigua decepti ſaepe medentes
Commoda in aegrorum peccando turpiter errent.

Affectus vis incipiens plerumque recentis
Ventriculum, et pepſis primae occupat inſtrumenta :
Et ſtomachi ardores urentes ignis ad inſtar ;
Et ructus acidos tetro aut nidore moleſtos ;
Singultumque acri ſaepe impete corripientem ;
Atque gravem a paſtu ſenſum, et praecordia tenſa
Efficit,

Efficit, et vultum nimio fervore rubentem :
Ipſaque perficitur tandem concoctio tarde.
Quippe huic officio imprimis liquor ipſe cerebri
Invigilat, ſtomachi vires, motumque gubernans;
Viſceris ut ſtructura fidem facit introſpecta ;
Et ratio perſuadet, et obſervatio multa.
Ille igitur, ſi mendoſus devenit inerſque,
His primo plerumque ſolet ſe prodere ſignis :
Quae vexant alternatim, creſcuntque morando,
Atque auctu magno fiunt immania ſaepe.
Inde nova accedunt miſeris mala ; nauſea languens ;
Atqui acidi vomitus ſucci, biliſve virentis ;
Faecibus aut vini ſimilis craſſove cruori
Rancentis maſſae, aut liquidae rejectio lymphae ;
Aut lentae pituitae, indigeſtive alimenti.
Haec pleno imprimis turgentes ventre fatigant.
Namque ingeſta ſuam, ſtomacho languente, ſequuntur

Naturam, coctrice minus virtute ſubacta ;
Humentiſque calore loci remorantia acorem
Concipiunt ; vel putreſcunt ; vel glutinis inſtar
Lenteſcunt, ortum muco praebentia inerti :
Noxia viſceribus tandem, et renuentia vinci ;
Auctaque multiplici ſucco, quem viſcera fundunt
Auxilium pepſis, fermentumque utile chyli,
“ Ejiciuntur, et ore foras glomerata feruntur ;
Nempe irritatis nervis, liquidoque cerebri.
Sed neque jejunos morbus ſinit eſſe quietos :
Quippe acres ſtomachi morſus, et tormina ſaepe
Infeſtant ; miroque ſonori murmure flatus
Nunc huc nunc illuc toto ſe abdomine volvunt.
Qui niſi, laxatis vinclis, et carcere rupto,
Effugiant tacite lapſi, raucumve boantes,
Angorem ſaepe horrendum, diroſque dolores
Chylificum tendendo tubum, et vicina premendo
Concinnant ; ſubitamque necem intentare videntur.
Aſt ad ſe redeunt his erumpentibus aegri ;

Quaeque ipſis fuerat modo ſpes extincta relucet.
Sunt qui vix unquam eſuriunt, gratove alimenti
Ullius delectantur, dulcique ſapore:
At numerus longe major plus appetit aequo;
Correptaſque avide bolos nimis ingerit acer;
Ventriculum ingeſtis onerans aegre ſubigendis.
Nonnullos obſcoena fames, ſimiliſque caninae
Macerat, et cerebrum latrat lenimen edendi:
Aſt aſſumpta coquunt nihilo felicius iidem;
Humores crudos cumulantes pabula morbi.
Denique ventriculi, morbo dominante, facultas
Omnimodis perturbatur, proſtrataque languet;
Et primae pepſis reliqua inſtrumenta fatiſcunt.

Interea cerebrum tetri contagio morbi
Incipit inficere, et nervorum invadere ſedes;
Serius, aut citius, prout haec, vel robore pollent,
Vel laxa nimium compagine creta vacillant.
Quin et nonnunquam, ſed rarius, horrida labes.

Ventri-

Ventriculo intacto praeceps caput impetit ipſum.
Hoc pueris, nam ventriculus robuſtior ollis,
Debiliorque ſimul moles pulpoſa cerebri,
Accidit interdum; et teneri infelicibus anni
Intempeſtiva nigredine ſuffunduntur.
At quibus eſt primo laeſum caput, omnibus ipſis
Ventriculus tandem inficitur, memorataque gliſcunt
Signa mali, ſi dira lues crudeſcere pergat:
Conſimilique modo ſtomacho qui forte laborant
Principio, his ipſum, morbo creſcente, cerebrum
Oppugnatur, et arx animae concuſſa labaſcit.

Illud in his vero rebus cognoſcere oportet,
Haud uni cuiquam affectûs ſigna omnia adeſſe
Tradita jam, nec quae poſt deſcribenda ſequuntur.
Nam veluti ſylvae denſae cum ſaeva procella
Incubuit, vexatque furenti turbine quercus;
Nonnullae evulſae radicitus exturbantur:

Franguntur trunci graciles, carioſaque ligna;
Atque imos aliae ramos, aliaeque ſupernos
Amittunt; facies laeſis non omnibus una,
Idem aquilo quamvis percuſſerit incitus omnes;
Haud aliter morbi fera vis non corpora quaeque
Infeſtat, torquetque modis patientia eiſdem:
Sed prout haec ipſis pars, illave debilior ſtat,
Proque gradu affectûs vario, cauſiſque remotis,
Induitur ſpeciem variam, variaque malorum
Incedit peſtis victrix comitante caterva.

Prima autem morbi cerebrum petere incipientis
Signa fere mentis motus velocior aequo;
Crebrior et ſolito meditatio; ſollicitudo;
Indolis et turbata aequabilitas nativae,
Nunc hebetes, et moroſi dum nempe videntur;
Nunc faciles iidem, et jucundi ſponte, loquaceſque
Evadunt; hominumque aures capiunt, animoſque
Haud expectatis ſalibus, varioque lepore.

Caeteraque, incepti docui quae in parte priore
Debilioribus inſtructis nervis, cerebroque
Competere, et dirae opportunos reddere labi,
Paſſibus inſerpunt lentis, gradibuſque minutis.
Saepe animo ſecum moerens nunc cogitat aeger
Triſtia multa; idem gaudens nunc volvit amoena;
Utraque inania; ſed quae volventi rationis,
Et blanda veri ſpecie fucata videntur.
Aut paulo poſt mutatus ſeſe increpat ipſum;
Atque metus damnat vacuos, et gaudia vana.
Nonnumquam invitis miſeris mentem ingrediuntur
Multa abſurda, et multa obſcoena, horrendaque multa;
Nec delere valent animo, atque expellere prompte;
Et graviter moerent ſibi mentem implerier iſtis.
Quinetiam haec ipſos feriunt adeo violenter
Interdum, ut metuant ne aut lingua impulſa repente

Turbatos prodat ſenſus, cerebrique tumultus ;
Corporis aut ſtolidi motus, et facta ſequantur.
Illud item valde crebrum, quod ſcilicet horum
Praedominans cujuſdam animis metus inſideat rei ;
Quem tamen haud raro reticent, celantque pudentes ;
Quippe pudor morbum ſequitur : victoque priore,
Ocyus invadit nihilominus anxius alter.
Argumenta autem ſanis, cauſaeque timorum,
Queis miſeri pallent, deridicula eſſe videntur :
Quo magis occultare ſtudent animi intima ſenſa.
Tum vero capitis vexant perſaepe dolores
Omnimodi ; ſummo non raro in vertice ſaevi,
Dum riget occipitis glaciali frigore ſedes :
Horriſonae ſtrident aures : maculaeque nigrantes
Perſimilis muſcis ; caligove nubis ad inſtar ;
Aut rubrae rerum ſpecies, flammaeque coruſcae
Obvolitant oculis : ſaliunt palpebrae utriuſque
Motrices tremulo labrorumque impete fibrae :

Fervidiuſque micant utroque in tempore venae.
Acrius interdum terret, lapſumque minatur
Vertigo, qua gyrari res quaeque videntur:
Attonitive metus morbi percellit inanis.
Saepe inopinanti, magica velut arte petito,
Delinquit liquor encephali; miſerabilis aeger
Vix proprium ſentit corpus, jam jamque videtur
In lethum ruiturus inops, orcumque patentem:
Nec ratione valet certans obſiſtere contra
Terrores animi vacuos, et inania ſpectra;
Mobilitate ſimul mira huc torquetur et illuc
Inſtabilis miſero mens, et quocunque relata
Deprimitur moerore nigro, atque horrore ſequaci.
Triſtius haud illo mortalibus accidit ullum,
Intolerabiliuſque malum; vix ſaeva podagrae
Tormenta aequantur; vix exquiſita reorum
Supplicia, aut duri lacerans violentia partus.
Quippe animae titubant lapſum minitantia fulcra,
Et perit ad tempus, per quod mala quaeque fe-
runtur,

Spirituum ſtabile officium, cerebrique poteſtas.
Saepius haec morbi graviora effecta puellas
Percellunt teneras, et candida pectora torquent:
Inſultuſque alias mites, alias violenti,
Hyſterici medicis dicti nullo ordine ſaepe
Servato invadunt, turbato nempe liquore
Encephali, incertiſque huc illuc motibus acto;
Morbi inſtar ſacri urgentes, quem quo graviores
Conſpiciuntur, eo referunt perfectius ipſi.
Hos intra corpus graſſans vis effera morbi
Excitat aucta ſubinde; animive repente coortus
Affectus, cauſaeque extrinſecus advenientes;
Percuſſis ſubito nervis, liquidoque cerebri.
Denique nonnullis, paucis tamen, improba labes
Nube velut cerebrum obducit; caligine ſenſus
Involvens quadam internos, mentiſque theatrum.
Tunc anima eclipſim patitur, morboque hebetata
Conſcia fit minus ipſa ſui; tunc vita videtur
Perpetüi inſomnî ſpeciem obſcurata referre.

Hoc ſi forte malum levius nondum egerit altas
Radices, cauſis referens imbellibus ortum,
Vaneſcit cito ſponte ; medentumve arte fugatur ;
Lucida vel ſaltem facit intervalla remittens :
Interdum vero in numeroſos ducitur annos
Perpetuum, indomitum, pro morbique augmine
creſcens.

Haec adoleſcentis primaria percipiuntur
Signa luis ; quae non cumulo ſatiata malorum
Inſtat adhuc, feſſoſque urget virtute recenti.
Quippe ubi durando fuerit firmata, manuſque
Jam victas dederint aegri, et contagio tetra
Per male nutritos nervos ſe extenderit omnes,
Innumerae miſeros aerumnae, acreſque dolores
Divexant, pariterque animos et corpora paſcunt ;
Et cunctas ferme ſpecies morborum imitantur.
Hinc petitur caput attoniti velut impete morbi :
Hinc etiam nervi, tenera compagine fracta,

Solvuntur, ſenſum membris motumque negantes.
Hinc homini ignavus torpor, ſimiliſque veterno
Obrepens molli facit indulgere quieti.
Hinc obſcuratur viſus, prorſuſve ſubinde
Deficit, interdum nimis exercetur acutus.
Hinc liquidae os uſque humectat permagna ſalivae
Copia, mercurii ſeu turbida vis penetraſſet:
Et guſtus varie vitiato laeditur ore.
Quinetiam dentes ipſos, mirabile dictu,
Non minus exagitat labes, torquetque dolore.

Saepius aſcendens ipſo ex abdomine ſpaſmus
Spiritibus mire glomeratis, fertur in altum,
Mentiturque globum fauces gutturque prementem;
Atque angens adeo conſtringit fortiter, ut vix
Deglutire queant, aut reſpirare miſellae.
Hoc maribus raro contingit, ſaepe puellis.

Non aliis naſcens radicibus arida tuſſis
Pectora anhela quatit: pulmonemque aſthma coarctans
Alternos aurae tractus pro tempore ſiſtit.
Saepe metu gelido capitis cor palpitat aegrum,
Et tremulum obſtantes crebro arietat impete coſtas;
Deliquiumve animae ſuſpenſis ictibus infert.

Abdomen praeter ſupra memorata laceſſunt
Multa effecta mali: fervor vagus, et vehementes
Valde agitatorum pulſus, tremulique tumultus
Viſcerum; et imprimis ſtomachi qui tympani ad inſtar
Contentus perſaepe tumet; perſaepe dolore
Immani torquetur: et inferior quoque venter
Interdum inflatur turgens, preſſuſque reſiſtit;
Interdum quaſi depletus ſentitur et abſens.
Nec pars ulla fere camera conſiſtit in ampla

Chylifici ventris, quam non quandoque dolores
Multimodi infeſtant; pungentes nempe hebeteſve;
Fixi, aut incerto huc illuc errore vagantes;
Mites, vel miſeros cruciantes tormine ſaevo.
At multo reliquis loca ſaepius afficiuntur,
Quae coſtis ſubjecta latent hypochondria dicta;
Laevum praecipue, jugi infeſtante dolore.
Deceptum unde putat vulgus tumuiſſe lienem.
Qui vero longe diriſſimus occupat omnem
Inflexi tortum coli, et rem nomine monſtrat.
Inque dies toto non raro continuatus,
Proſternenſque animos mire, tandem omne remittens,
Obductum viridi corpus flavedine tingit.
Rarius hoc maribus contingit, ſaepe puellis.
Solvitur interdum, et fluidiſſima dejicit alvus,
Datque diarrhoeam ſumme aegros debilitantem:
Interdum faeces valde indurata coercet;
Aut nixus exercendi molitur inanes.

Nonnunquam et renum carnem ſaeviſſima labes
Aggreditur, torquens ipſam, urinamque retentans,
Et ſpeciem incautis verae nephritidis offert:
Saepius at pellucidulo labentia rivo
Lotia redduntur, magna vi fuſa repente;
Nimirum exaucti dum vis furit incita morbi,
Effraenique agitur cerebri liquor impete raptus.
Hinc etiam quamquam raro veſica laborat;
Atque eadem patitur, medicis mirantibus, ac ſi
Urgeret gravidam concreto calculus orbe.

Quinetiam pleriſque aegris dorſum excruciatur
Saepius; aut ſpaſmis tremulis convellitur ictum:
Interdum gelidum frigus ſentitur ibidem.

Tum porro externae nullo diſcrimine partes
Tanquam acubus pungi, cum titillante dolore
Percipiuntur; ut obſervat toto inclytus orbe
Hippocrates, Coum ſidus, princepſque medentum:

Veridicis cujus mandata oracula chartis,
Dum mortale hominum genus, et durabit acerbum
Morborum imperium, ſemper laudata cluebunt.

Nec non et varios artus jactatio crebra,
Subſultuſque vagi infeſtant; ſpaſmique dolentes;
Spaſmiſque expertes fixi, immaneſque dolores;
Ad tactumque reſiſtentes, durique tumores:
Membraque ſaepe algent extrema cadaveris inſtar.

Praeterea ſomnos adimit perſaepe, breveſve
Aut imperfectos nimium, minimeque profundos
Efficit atra lues; inſomnia turbida mittens,
Terrifica quae percuſſis virtute ſoporem
Excutiunt ſubito, ſtringuntqne trementia corda:
Dudum defuncti ſeu conſpiciantur amici;
Monſtrorumve truces vultus, horrendaque ſpectra:
Vel fovea excipiat devexo pondere lapſos:

Armative homines inſtent, mortemque minentur:
Aut miſerabiliter premat incubus indupeditos.

Debiliore fere ſaliens arteria pulſu,
Et celeri digitos palpantis verberat, ipſe
Morbus radices ſi creſcendo egeret altas:
Interdum crebris furit ictibus incita valde;
Tabentem veluti depaſceret hectica febris :
Quinetiam intermittentem nonnunquam imitatur,
Alterniſque rigoribus et fervoribus inſtat
Multiplex peſtis; quandoque, at rarius, ipſa
Continuam ſimulat, ſiccam calidam atque malignam :
Uſque adeo induitur varias diverſa figuras.

Tot tantiſque malis fractus miſerabilis aeger
Deſperat prorſus revaleſcere : moeret amaris
Obrutus aerumnis: corpuſque animumque pereſus
Carpitur : effoeto languent in corpore vires:

Horridaque invadit macies: artuſque toroſi,
Cruraque praecipue gracileſcunt; lurida vultum
Deformat ſpecies; oculorum lumina moeſta
Non retinent ſolitum ſplendorem igneſque mi-
cantes.

Ingenium, et mores mire mutantur; homoque
Fit levis, inconſtans, querulus, moroſus, acerbus;
Deſpondenſve humili nimis, et leni bonitate;
Suſpicioſus item, vaniſque timoribus actus;
Et vulgaribus in rebus miſerantior aequo;
(Omnia quippe movent animum imbellem, et
puerilem)
Impatienſque morae cujuſvis; irrequietus;
Spiritibuſve gemens depreſſis moeſtus inerſque.
Paulatim creſcens factorum oblivio gliſcit:
Turbaturque animi quavis praeſentia cauſa.
Cogitat aſſidue invitus, mentemque fatigans
Velocem nunc huc nunc torquet inaniter illuc;

Inſtabiles etenim ideae, neque facta ſequntur.
Non ullos poſſit conſtans perferre labores
Corporis aut animi: quin illecebroſa voluptas,
Quam reliqui exoptant omnes, cupidique ſequuntur,
Mentem agitans laedit teneram, triſtemque relinquens
Languorem plectit, magno nimis empta dolore.
Atque adeo, ſi non medica ſuccurritur arte,
Torpens et pleriſque in rebus inutilis annos
Tranſigit; exoſus turbas, atque otia laeſae
Unica ſollicitae anquirens ſolatia mentis:
Nequicquam, quoniam truculenti ſpicula morbi
Perpetuo fodicant aegrum vexantia pectus.

Illud in his vero rebus non diſſimulandum,
Scilicet aerumnis plenum, variaque malorum
Squalentem facie morbum quaedam tamen aegris,
Nec ſpernenda quidem, permultis commoda ſecum

Apportare, boniſque atros miſcere dolores.
Nempe acuit mire ingenium, obtutuque ſagaci
Cernere largitur menti; rerumque latentes
Vix explorandos aliter penetrare receſſus:
Humanaſque fere metas tranſire ſciendo.
At magno certe miſeris ſapientia conſtat.
Quinetiam pleroſque aegros reddit meliores,
Flagitiis arcens faedis, formidine poenae
Perculſos; famaeve timentes vulnera laeſae;
Vel, quod praecipuum eſt, ſceleroſae tormina mentis
Internam horrentes nemeſim, furiaſque ſequaces:
Quippe ipſis morbo teneraſcunt mollia corda.
Incolumes porro a morbis graſſantibus ipſos
Praeſtat, et aegre nullum patitur ſibi conſociari,
Cunctarum ipſe nimis referens compendia labum.
Denique torpentem gelido marcore ſenectam
Arcet protelans; quippe eſt contrarius illi,
Mentemque ſenſuſque acuens fibraſque relaxans

Exileſque tubos nervorum ſervat apertos
Qui ſenio compinguntur, clauſique reſiſtunt.
Uſque adeo aeternus rerum ſator, atque benignus
Anguſtis ſaepe in rebus ſolatia quaedam
Porrigit, ut duros valeant perferre dolores
Mortales; ipſumque colant dominumque patremque.
Excuditque malis bona conſilio ſapienti.

*Libri ſecundi Finis.*



NEURO-

# *NEUROPATHIAE*

## LIBER TERTIUS.

HActenus affectus ortum, et certiſſima ſigna
Carmine pierio expoſui, numeriſque ſonoris;
Triſtia muſaeo nitens ornare lepore;
Affectanſque tuum exemplum, Romane *Lucreti*,
Sublimis, nervoſe, uber, dulciſſime vatum.
Atque utinam nunc ille mihi furor arduus eſſet,
AEternuſque lepor, tua quo ſunt omnia plena,
Abdita ſeu in lucem magni primordia mundi
Protrahere, heu graio nimium confiſe magiſtro!
Conaris; vireſve feras, cauſaſque latentes
Fulguris, horrifici tonitru, terraeque tremorum
Verſibus exponis, fumantiſque ignibus Aetnae,

Infeſtique lacus avibus graveolentis averni:
Seu peſtim populo Pandionis incumbentem,
Efflanteſque animas diris anguoribus aegros
Pingis, et innumeris vaſtatam mortibus urbem.
Ne vero magnis nimis auſis excideremus,
Unum duntaxat ſelegimus illuſtrandum
Morbum compatrios vexantem ſaepe Britannos;
Parvum opus ingenti penſantes utilitate.

Tu quae principiis aderas Tritonia noſtris,
Obnixeque rogata ſavebas dia virago,
Supremam hanc, et praecipuam ne deſere partem;
Qua quibus horrendae peſtis contagio tetra
Oppugnanda modis doceo; quibus improba telis
Confodienda lues; medicaque ſalutiſer arte
Auſonium pango Tameſina per oppida carmen.
Hic Dea conſiliis opus: hic ſapientia certe
Utilis: hic ſine te vates non proderit hilum;
Te ſine non poterit praecepta ſalubria fidus

Tradere, non ſaevum miſeris depellere morbum.
Quo magis ipſa meis da pondus verſibus oro!
Da ſtudio reſerare acri penetralia rerum
Abdita; et antidotos dubias ſeponere certis:
Cunctaque perſpicuis liquido comprendere verbis:
Haud etenim tenue aerumnas avertere triſtes
Cordibus humanis, ipſoſque docere medentes.

Ergo age, qui diri perſentis tormina morbi,
Signaque plura, etenim non unum cuncta profecto
Divexant, monito confidens utere primo,
Nempe mala haec, quamvis gravia et videantur acerba,
Tuta tamen ſatis, atque expertia crede pericli,
Ni tibi defueris miſer, ignavuſque manus des;
Inſtantem nedum metuas portendere mortem.
Erige dejectam caſſa formidine mentem:
Torpeſcenſque alacri ſtimula molimine pectus:
Deſidiae non ullus honos, non praemia cedunt;

Nec deſpondenti bonus auxiliatur Apollo.
Te meliora manent, experto crede, monenti
Si modo des aures vacuas, animumque paratum
Illa agere, et perferre viriliter et patienter,
Quae tibi reſtituant ſanam, firmentque ſalutem.
Inſuper et mentem ſolers praeſtare ſerenam,
Qua poteris ratione adnititor; anxia pelle
Senſa animo ſomnos arcentia ſaepe ſalubres:
Imprimis venerare Deum ſincerus; et omni
Te ſcelere intactum ſerva; namque impia corda
Deſerit alma quies, furiis lanianda relinquens;
AEgrius haec vero ſi abſit ſanabere multo.
Quin et, quas hominum commercia mutua poſcunt,
Res ne ſperne tuas prudens curare, domumque.
Multiplices haec, et magnas neglecta creabunt
AErumnas, quas, ut bene ſis, vitare neceſſe eſt.
Denique, quod ſenſus communis et ipſa docet res,
Quaecunque effectu conſuerunt laedere certo

Abjiciantur; ut ingluvies, turbanſque cerebrum
Crapula; et immodicae veneris damnoſa voluptas;
Tum ſophiae ſtudium vehemens; nerviſque inimica
Lucubratio; vireſque exſuperans labor omnis:
Haec arcenda tibi omnino, removendaque longe;
Ut nihil optatam poſſit tardare medelam.

His ita munitus praeceptis accipe porro
Quae diſciplinae ad leges facienda ſuperſunt.

Quum fabrica, ut ſupra docui, pulpoſa cerebri,
Ex ipſaque ortum ducentia ſtamina nervi,
Hoc morbo imprimis laeſa, et compagine fracta,
Intempeſtiva molleſcant flacciditate:
Encephalique liquor tenuis, qui ſpiritus audit,
Degener inde etiam factus, vapiduſque, aqueuſque,
Paucaque complectens elementa animalia pauper;

Mobilitate celer nimia, nimiumque ſolutus
Diffluat, et nervis ſubito nimis evolet ipſis:
Horrendaeque luis natura ita conſtituatur:
Hanc patet haud alia vinci ratione poteſſe,
Quam cerebri glomus, et nervorum tenuia fila
Durando, ut robur, virtuſque elaſtica gliſcens
Tandem inſtauratis reddat ſua munera fibris:
Encephalique ſimul tenuem ditando liquorem,
Particulas ut contineat proprias animali,
Nempe ſalis, leniſque olei, terraeque minutae,
Permultas, blandas, generoſas, et bene coctas:
Atque adeo magis inde tenax, minus et fugitivus
Reddatur; propriiſque canalibus aptus alendis;
Officiiſque ſuis bene conſtanterque obeundis:
Haec fieri, rite ut morbo medeatur, oportet:
Hoc opus, hic labor, hic noſtrae ſcopus ultimus artis.

Multa quidem huc ſpectant: quorum primaria tradam
Enumerans capita, et ſeriem rerum ordine ponam.

Ventriculum cura imprimis: hoc viſcere laeſo
Non ſalubres facile humores in corpore fiant;
Non vigeant ſtabiles animalia robora nervi.
Quem ſi, ut multoties contingit, foeda ſaburra
Oblinat, aut acidi ſucci, aut lentae pituitae,
Plurima quae hoc morbo vexatis ſemper abundat,
Aut alius pepſi infeſtus forte obruat humor;
Tum ſtibio irritans acri, radice vel inda,
Saepius expurga verrens, vomitumque cieto.
Inde aloe pura, et gummi ſolventibus ipſum
Inteſtinorum teretem, tortumque canalem
Eluito; et caute repetitis doſibus inſta:
Nempe viae ut primae chyli, ductuſque alimenti
Emundentur; et in venas iter expediatur.

Aſt turbas vomitu factas, alvumque movendo
Tempeſtive opio prudens lenire memento.
His factis vitium intenta perpendito mente
Ventriculo proprium aegroto; pariterque medetor.
Frigida debilitas, mucoſaque aromata eoa
Poſtulat; atque herbas notae virtutis amaras,
Quae vice fungantur bilis, pepſimque laceſſant;
Concoctuque cibos faciles, et fercula lauta;
Et modice aſſumpti ſpumantia pocula Bacchi.
Laxas intendunt fibras medicamina vulgo
Aſtringentia dicta: horum vis ſuppetit ingens:
Tu ſtomacho vero et nervis gratiſſima quaeque
Eligito, qualis ſpeciatim pontica radix;
Cinnameique liber trunci; febreſque retundens
Cortex, orbe novo noſtras delatus in oras;
Et ferri reliqua exſuperans auſtera poteſtas.
Succorum abſorbent acidorum ſpicula teſtae;
Et chalybis raſura recens rubiginis expers:
Oppoſitique ſales frangendo innoxia reddunt.

Aſt acida ingrato nidori adverſa reſiſtunt;
Emendantque gravi nocuam putredine bilem.
Tetros diſcutiunt flatus quaecunque relaxant
Ventriculi contracturas, tortique canalis,
Acribus a ſuccis factas ſtabulantibus illic;
Qui fragile a morbo factum pungendo, nimiſque
Irritabile, nervorum ſyſtema laceſſunt;
Et valido paſſim motrices impete fibras
Conſtringunt convellentes; caecamque vaporum
Materiem includunt, rarefaciente calore
Expanſam, et valido nixu vicina prementem.
Quicquid diluit, aut mutando temperat acre,
Huc ſpectat: ſed quae experta virtute liquoris
Encephali ſedant aeſtum, effraeneſque tumultus,
Et proprios intra fines moderando coercent,
Dirum prae reliquis morbum medicamina tollunt:
Spaſmiſque incluſum emittunt, fugitantque va-
porem.
Plurima laudantur medicis: primaria gummi

Fœtida; caſtoreum virus; baccaeque potentes
Juniperi; et blandum ſpirantia ſemina Aniſi;
Cum Caruis, Cububiſque, et aromatico Coriandro:
Tum radix Phu dicta aegris gratiſſima nervis,
Zingiberiſque calor pungens, et odora Mei vis;
Et parcas merito ſpernens Zedoaria laudes.
Adjiciuntur et his recte, quae leniter alvum
Subducunt, flatuſque deorſum urgentia trudunt,
Imprimis horum ſedes ſi abdomine in imo.
Hos etiam pellit non raro, abigitque repente
Electro liquidum deſtillans viribus ignis:
Et qui de variis animantum partibus humor
Exprimitur ratione pari, phialaque recluſa
Evolat, atque acri nares contingit odore.
Cum vero dolor immanis vexet, nec acuta
Inflammatio membranas corruperit ipſas,
Ne cunctare graves opio lenire tumultus:
Tormina quippe levat princeps, ſpaſmoſque relaxat.

Auxilium praesens medio quam maxima ventri
Saepe admota tulit ventosa cucurbita, vires
Cum nullas alia exererent, frustraque darentur.
Scilicet exsucto convulsis sanguine fibris,
Quo sine non harum fieri constrictio possit,
Vincla relaxantur spasmorum, et carcere rupto
Emissus vapor in tenues dispergitur auras.

Chylifici interea ventris si viscera glandes
Obstructas habeant tenues, caecosque meatus
Muco obturatos lento, crassaque saburra
Incoctis nata ex succis, motusque salubris
Defectu, officiisque adeo languentia desint;
Ingens praecipue moles jecur, utile bilis
Colum acris; tum sollicita tu providus arte,
Pessima ne tandem fiant schirromata ibidem,
Ocyus impactum lentorem, obicesque tenaces
Solvendo eluere, et tubulis expellere tenta;
Muneribusque suis praecordia libera redde.

Haec mala debilibus primum debentia nervis
Exortum, morbo dum ſunt levia incipiente,
Eludunt aciem medici, inſerpuntque latenter :
Sin confirmatus fuerit, duretque per annos,
Non dubiis perſaepe ſolent ſe prodere ſignis.
Lurida namque aegris facies, paulumve vireſcens ;
Ventriculuſque cibos faſtidit ; coctio tarda,
Difficiliſque exercetur ; praecordia tenſa,
Poſt paſtum imprimis, onerataque percipiuntur :
Unde gravis ſaepe anxietas, et triſtia vitae
Toedia, moeroreſque nigri, caſſique timores,
Arctatas propter venas corde indupedito :
Tum ſtimulo ſuppreſſa alvus non ſuppeditato ;
Iliaque incertus dolor, obtuſuſque pererrat.
Proſunt matura ſapidi dulcedine fructus
Horaei : lactiſque tenaci parte remota
Tenue ſerum ; excellit quo caprae in rupibus altis

Herbarum paſtae varium genus ubera complent ;
Nam medicatum illud magis eſt : laus proxima ovilli.
Lentores etiam frangunt, ſubiguntque potenter,
Viſcoſa quamvis compagine praedita gummi
Oppoponax, ſagapenum, ammoniacique poteſtas :
Et ſylphî tetrum redolens penetrabile virus :
Impactumque terunt mucum, exturbantque per alvum ;
Spiritibuſque aegris ſimul auxiliantur amica.
Huc etiam princeps conducit ſapo, meatus
Obſtructos reſerans jecoris ; quo pulchrius ullum
Ars chymica inventum numquam dedit, utiliuſve.
Tum medici latices, quales Bathonia fundit,
Sulphure ferventes agili, chalybiſque metallo,
Ventriculo mire gratae, tortoque canali,
Depurant pariter ſuccos, et viſcera mundant ;
Aegrumque encephalum refocillant exhilarantes.

Argento multi conantur ſolvere vivo
Impactas tubulis ſordes, glandeſque levare
Obſtructas : verum hi caveant, ne forte vacillent,
Excuſſive cadant valido medicamine dentes ;
Foetentemve animam, et fauces, quod ſaepe, dolentes
Excipiat liquidae rejectio magna ſalivae,
Qualem ſollicita conſuerunt arte medentes
Impuri tactis coitus contage ciere,
Expellatur ut ex humoribus acre venenum.
Mercurii certe infirmis vis turbida nervis
Nunquam non inimica venit, ſi molle cerebrum
Attigerit, tubuliſque exilibus inſinuata
Fundat agens omnes penetrato in corpore ſuccos.
Quaſſat enim teneras violento pondere fibras.
Tu mage tuta tibi ingerito medicamina cautus.
Nec niſi fruſtra aliis factis prius, expertiſque,
Ancipites inito curſus, plenoſque perîcli.

Inde ubi materiam tenuaveris arte rebellem,
Reddideriſque aptam caulis exire minutis,
Tum vero ſtimulare alvum, vomitumque ciere
Utile erit, mucumque canalibus eicere inertem:
Auxiliatricemque operam naturae adhibere.
Sic tibi ventriculus cocturaeque organa primae
Curanda, ut chylus venis bonus inſinuetur,
Pabula nec ſemper morbo nova ſuppeditentur.

Quinetiam haec capiti conducunt pleraque, nam ſi
Ventriculus bene ſeſe habeat, tortuſque canalis,
Atque homini bene procedat concoctio prima,
Vix aegrotabit caput: at ſymptomata acerba
Non raro ſubitum auxilium cruciantia poſcunt.
Qualia ſunt ſaevus dolor, obſcuratio magna
Encephali, et lapſum minitans vertigo inopinum,
Stridorve horrificus perceptus in auribus intus,
Senſuum et incerto huc illuc acti impete fluctus

Angentes, animumque nigro moerore replentes.
Confert caeſariem radendo excidere ſaepe;
Atque pedum calida plantas perfundere lympha:
Purgantique alvum medicamine ſollicitare.
Quin et, ſuccorum ſi copia turget abundans,
Purpureum juguli venis educere rivum
Cantharidaſve humeris adhibere extrinſecus acres,
Veſicaſque cuti putres inducere ſummae
Interdum juvat: aut carni vulnuſcula ferro
Incutere, aſſiduo manent quae adaperta fluore;
Deriventque alio liquida, exonerentque cerebrum.

Spirituum ſubitis defectibus auxiliantur
Lenae latices hauſti; quibus addita Myrrha,
Virtutem intendit, myrraque potentior ambra.
Quae praeſto ſi non fuerint, infunde liquoris
Ardentis cyathum, proſtrataſque erige vires.
Intolerabile namque malum praeſentia latrat
Remmedia, at modicis tamen hauſtibus aggredi-
endum; Qui

Qui, niſi cauſa gravis perſuaſerit, haud repetantur;
Noxia ne conſuetudo tandem inſinuetur.

Si vero morbi molem ſperaveris omnem
Diruere, atque imis evertere fundamentis,
Rem medicaminibus ſolis fuge credere totam:
Sed ſimul exerce jugi molimine corpus,
Ut vires perferre queant. Pelle otia, pelle
Subdola; mollitiemque indignans excute inertem:
Sic melius cerebri pulpam, nervoſque tenellos
Firmabis; laticemque agilem, qui ſpiritus audit,
Ditabis; quam ſi torpens multa optima ſumas
Pharmaca, et ingrato muſſet ſub pondere venter.
Perniciem adverſus tantam tu ſedulus omne
Explora auxilium, et corraſis undique telis
Implacabilis oppugna, ſic denique vinces.
Quos igitur proprio motus perſenſeris uſu
Exhilarando animo et firmandis viribus aptos,

Optima nam indigitat propria experientia cuique;
Ventriculo imprimis vacuo, minimumve onerato,
Excole conſtanti ſtudio; variaque ſubinde,
Utile ne abrumpant gliſcentia toedia coeptum.
Aut pedes herbiferos liber ſpatiare per agros,
Glande nitroque minax, avibuſque fugacibus inſta;
Aut docili manno undantes immittere habenas
Ne ceſſa, leporemque acri praevertere curſu;
Stipitibuſve Caledoniis percuſſa feratur
Sphaerula ſutilis, et liquidum ſecet aera lapſu;
Vel pila reticulo celeri ruat impete pulſa.
Sin violenta minus placeant, tibi ligneus orbis
Ceſpitibus ſuper aequatis, viridique nitore,
Inſtabilem obliquo contingat tramite metam;
Vel globuli menſa in plana verſentur eburni;
Aut projecta volet nervo ſtridente ſagitta.

At tibi si morbo jam detritae diuturno
Debilitentur eo vires, communia ferre
Ut nequeas exercitia, et nisus mediocres ;
Tum rheda vehere, et longos metire viarum
Tractus, divini monitu senis ; aera purum
Affectans, siccumque tepenti et sole benignum.
Nec vacuus torpesce domi verum hoc age et illic ;
Assiduamque operam curandae impende saluti.
Sunt qui incumbentes resti describere crebros
Assuescunt arcus, suspenso corpore lapsi ;
Et bene ; namque lui pellendae accommoda res est,
Aptaque quae obstructum purget quatiendo cerebrum.
Totum alii spinae tractum, dorsique medullae
Verriculo horrenti setis, pannisve fricari
Asperioribus, igne calentibus, et bene siccis

Fortiter atque diu ſuadent, cum mollia lecti
Strata relicturus ſomnos excuſſerit aeger.
Debilibus nihil eſt quidquam magis utile nervis.
Namque canaliculis preſſis, celer in ſua fertur
Munera ſpiritus, externa vi fortiter actus;
Nec quidquam ſuccis inducitur inde nocivum.
Pulchre etiam, quiſquis fuerit, ſibi conſulit aeger,
Qui manibus vulgarem aliquam, et facilem excolit artem.
AEdibus in propriis operans: ſic toedia fallit
Horarum, incumbens penſo; mentemque relaxans
Tantiſper morbi moerorem avertit amarum;
Utilibuſque ciet verſatos motibus artus:
Unde quidem melius concoctio perficietur.
Quaelibet, et vires pedetentim in corpore creſcent.

Frigenti multis immergere corpora lymphae
Profuit: hoc etiam magni ſapientia Coi

Prae-

Praeſidium indigitat, morbos adverſus eoſdem;
Summique Anglorum felix reperere medentes:
Tanta fuit priſci medica experientia ſaêcli!

Quinetiam ſaevae febris violentia torrens
Non raro imbelles nervos aegrumque cerebrum
Reſtituit firmans, morbumque fugavit inertem.
Nam celeri liquida, et valido vitalia motu
In venis et viſceribus ferventibus acta
Particulas minimas fibrarum, elementaque prima
Aſſidue urgendo compingunt impete forti;
Quamque prius fuerant duras magis et robuſtas
AEdificant, exercitio veluti diuturno
Calloſas factas. Sic tenuia ſtamina nervos,
Sic cerebrum inſtaurat febris compagine firma,
Spirituum ſanans morbos, et debilitatem.

Haud ratione alia patrii mutatio coeli
In loca migrantes perſanat fervidiora.

At vero creſcens aetas gliſcenſque ſenectus,
Omni alio auxilio ſuccurrit certius aegris,
Quos nervi vexant fragiles; cerebrumque tenellum.
Utque lues ſenium protelat, ita advenienti
Ipſa locum fugiens cedit, devicta viciſſim.
Nam cerebrum vergente aetate, et daedala nervi
Fila indurantur paulatim, atque improba tandem
Excutitur fibris labes, et corpore firmo;
Crudam concedens homini viridemque ſenectam.

Quod ſupereſt animo rationem percipe victus.
Diſce gulam regere imperio, penituſque domare.
Artis opem medicae qui non ſibi temperat aeger
Sentiet ille parum, Phoeboque utetur iniquo.
Coctu igitur levia omnino, cultuque parata
Simplice, ſed proprio quae non ingrata palato,
Uſurpanda alimenta; et Coo praecipiente

Quae moveant pigram ſtimulando leniter alvum.
Pinguia, et indomito lentore tenacia vita:
Acriaque, et nimio ſuccis infeſta calore.
Fercula ne affectes numeroſa, epulaſque repoſtas;
Unum vel duo duntaxat modice imminuantur.
Magnam horum vero partem vegetabile regnum
Suppeditet, parce veſcenti animalibus eſcis.
Lente etiam manducato, ſtomachumque repleto.
Qui bolos avide arreptos nimis ingerit acer,
Conſopire famem feſtinans, ille profecto
Plus juſto plerumque aſſumit, et utile dentium
Abrumpens munus pepſi officit uſque ſequenti.
Coena brevis placeat: decima neque ſerior hora
Decumbe in ſtratis, et te committe ſopori:
Sic alacer mane exurgas, ſomnoque refectus.
Pocula corruptis ex frugibus arte parata,
Quamvis ille liquor patrius, cerealia dona
Sint procul infirmo ſtomacho, nervisque tenellis;
Quippe tenacia ſunt, et glutine viſcida lento;

Ventriculumque onerant morbo nimis ante gravatum ;
Nec se, nec solidas escas patientia vinci.
Vitigeni latices, quos jugi exercita cursu
Temperat unda levis, purive argentea fontis
Lympha, sitim extingant avidam ; viresve labore
Exhaustas grate recreent, ingestaque solvant.

Utiliter multi potant quas ferrea virtus
Nobilitavit aquas. Tales Germania mittit
Particulis vivis agiles, acrique sapore,
Complures ; stomacho gratas, liquidoque cerebri :
Anglia item haud paucas felix gleba evomit alma.
Quas inter merito praeclarum nomen adeptae
Excellunt *Scarburgenses* : hominumque celebres
Alliciunt coetus medica virtute quotannis,
Dum radiis recreans aestivis aetherius sol
Arctoa exhilarat late loca, frigore pulso.
Advena terrai mediis a sedibus illic

Miratur vaſti fluctus, et murmura ponti ;
Littoreumque avidis oculis legit amphitheatrum;
Et viridantem arcis collem, vetereſque ruinas.
Mane ubi Phoebus equos Eois extulit undis,
Egelidaſque tepore novo jam temperat auras,
Certatim ad fontes medicos promiſcua turba
Convolat et preſſis veſtigia ducit arenis,
Stillanteſque haurit ſcatebras; quarum altera ferro
Imbuitur modice, purgantiſque uberiorem
Vim ſalis obtinuit ; magis altera foeta metallo
Ipſa quoque aſtrictam ſed parcius elicit alvum.
Illa quidem ſtomachi ſordes, tortique canalis
Certius educit, mucumque exturbat inertem ;
Humorumque ſecat ſolvendo viſciditatem :
Haec magis invalidas molli compagine fibras
Firmat, nec vires vacuando ita diſſipat aegri.
Utraque ventriculum cocturaeque organa primae
Roborat, et cerebri pulpam, nervoſque tenellos;
Encephali tenuem inſtaurans celeremque liquorem.

*F I N I S.*

## *CORRIGENDA:*

### In Tractatu Prosaico,

PAg. 6, *linea tertia, pro* nomen *lege* locum. *p.* 49. *lin. antepenult. pro* reddendi *leg.* reddendae. *p.* 57. *lin.* 8. *pro* spectet *leg.* spectat. *p.* 58. *pro* febriantibus, *leg.* febricitantibus. *p.* 63. *lin.* 11. *pro* moaum *leg.* modum. *p.* 64. *pro* vetustimum *leg.* vetustissimum. *p.* 66. *pro* pleraque *leg.* pleraeque.

### In Poemate.

*Libro secundo, linea* 40. *pro* Atqui *lege* Atque. *lin.* 148. *pro* Persimilis *leg.* Persimiles. *lin.* 226. *pro* capitis *leg.* captis. *lin.* 255. *pro* exercendi *leg.* excernendi. *lin.* 293. *pro* egeret *leg.* egerit. *lin.* 330. *pro* sollictae *leg.* sollicite. *Libro tertio, lin.* 235. *pro* inito *lege* tenta. *lin.* 326. *post* artem *dele* punctum. *lin.* 376. *pro* arreptos *lege* arreptas. *lin.* 391. *pro* extingant *leg.* extinguant.